SYNODUS CERINIOLENSIS

AB

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

ANTONIO MARIA NAPPI

ASCULI, ET CERINIOLAE EPISCOPO

CELEBRATA

Diebus 30 Junii, ac 1 et 2 Julii anni MDCCCXXIV.

In Cathedrali Ecclesia Civitatis CERINIOLAE.

NEAPOLI
TYPIS PASCHALIS TIZZANO.
1824.

EDICTUM
PRO
SYNODI CONVOCATIONE.

ANTONIUS MARIA NAPPI

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS ASCULANENSIS, ET CERINIOLENSIS.

Inscrutabili Dei Optimi Maximi consilio factum est, ut ista Ceriniolensis Ecclesia elapso anno millesimo octingentesimo decimo nono praeter spem Episcopali Cathedra potiretur, ac finitimae huic Cathedrali Ecclesiae Asculanensi perpetuo aeque principaliter uniretur. Quid autem prodesset, ipsam ad tantam assurrexisse dignitatem, et decus, nisi in ea Religionis etiam splendor perbelle coruscaret? Opus est igitur, ut maxime floreat in Capitulo sanctitas, adolescat in Clericali militia virtus, virescat in populo pietas. Utinam res ita se habeat! Quoad Nos, quibus eiusdem Ecclesiae gubernaculo adsidere datum est, ad eiusmodi finem assequendum omnes adhuc inten-

dimus industriae nervos, ac iuges, humilesque Deo preces fundere minime desiimus.

Ut vero nihil intentatum relinquamus, Dioecesanam Synodum ab Ecclesiasticis legibus praescriptam cogere decrevimus; quae quam utilis sit, longum esset adstruere. Sit satis provincialis Concilii Coloniensis Patres audire, qui huiusmodi utilitatem hisce verbis extollunt: » In Synodis redintegratur unitas, studetur corpori in sua integritate conservando: ubi » ea, quae in Visitatione non dabatur exequi, exequutionem studiis communibus assequuntur, ubi de » capite, et membris, de fide, et pietate, de religione, et cultu divino, de moribus, et disciplina, » de obedientia, de iudiciis, et rebus omnibus ad » bene, christianeque vivendum commodis, vel necessariis tractatur, atque statuitur; ut verissime in » reformationis formula dicatur. Salus Ecclesiae, terror hostium eius, et fidei Catholicae stabilimentum » sunt Synodi, quas etiam rectissime corporis Ecclesiae nervos dixerimus ».

Postquam igitur in hac Asculanensi Dioecesi Synodus confecta fuerit, eam istic, Deo opitulante, et sub auspiciis Divi Apostolorum Principis Petri, praestantissimi istius Civitatis Patroni, celebrabimus diebus 30 proxime venturi Junii, et 1 ac 2 Julii; ad eamque praesentium tenore convocamus in istam Ca-

thedralem Ecclesiam cunctas Dignitates, et Canonicos, aliosque Sacerdotes eiusdem Ecclesiae, sub poenis a iure inflictis contra non accedentes absque legitima causa a Nobis, vel ab isto Vicario Generali cognoscenda.

Unusquisque Ecclesiasticis vestibus, et insignibus suo gradui respondentibus indutus dictam Ecclesiam adeat, ibique debitum ordinem servet.

Quaecumque istic emendatione, ac reformatione indigere videantur, ad Nos, antequam Synodus congregetur, deferantur, ut quod expediet, decerni valeat.

Archipresbyter, et Coadiutores Synodi celebrationem populo annuntiantes, ipsum moneant, quod nostram Cathedralem Ecclesiam, Synodo perdurante, visitantes, dummodo sint rite comparati, Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta lucrabuntur.

Interim in virtute sanctae obedientiae Capitulo, ac reliquo Clero praecipimus, ut a praesentium promulgatione usque ad Synodi confectionem in singulis Ecclesiis Missis apponant orationem de Spiritu Sancto; et in Cathedrali per tres dies praecedentes Sanctorum litanias recitent. Cunctos quoque istius Dioecesis Fideles in Domino hortamur, ut piis precibus divinum arcessant auxilium, quo favente, salutare hoc

opus feliciter inchoetur, felicius procedat, et felicissime absolvatur.

Quod ut omnibus notum sit, praesentes edictales litteras in ista Cathedrali Ecclesia affigi volumus.

Datum Asculi ex nostris Ædibus Episcopalibus die 25 mensis Maii 1824.

ANTONIUS Episcopus Asculanensis, et Ceriniolensis.

SERMO

AB

EPISCOPO HABITUS DIE PRIMA DIOECESANAE SYNODI.

Ecquis vestrum, Fratres, et Filii dilectissimi, nescius est, quot et quanta nostrae huic Christianae reipublicae detrimenta elapsis difficillimis temporibus domesticus hostis nunc palam, nunc clanculum, ac veluti per cuniculos aut intulerit, aut inferre paraverit? Proh dolor! *Venit inimicus homo, et in vinea Domini Sabaoth superseminavit zizania.* Ipse nimirum humanae felicitatis invidia percitus, tartarea armatus audacia, sese in lucis Angelum transformans, genus electum, acquisitionis genus subdolis, virulentisque doctrinis miserrime perdere molitus est. Ipse incautos aggressus homines, eosdem ad Christi gregem devastandum, ad Sponsi columbam, si fas esset, vel dilaniandam, vel interimendam, tanquam apros e sylvarum latebris erumpentes, ad nitidum turbandum, dispergendumque fontem, immisit. Et interemisset utique, dilaniasset, dispersisset, nisi in faciem eius protulisset advocatus Servator: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Tot, tantisque malis iis occurrendum est remediis, quorum vis cunctas ae-

grotas partes longe lateque pervadat, ut Religio caput attollat, et si quid unquam in coeteris passa est damni, robustius reviviscat. Et quoniam magni animi est magis laboribus, qui sunt verae gloriae argumenta, quam laborum praemiis delectari; abs re non erit subeundos vobis labores summatim proponere, ut in his superandis virtutis robore, quod solet difficultatis stimulis excitari, sitis fortiores.

Macti animo estote: Deo auctore, haec Synodus est instituta, et huic dictum a Domino puto: *Constitui te hodie, ut evellas, et destruas, aedifices, et plantes*; ut scilicet et quae in Ecclesiae campis succreverunt passim zizania, succidantur, evellantur, ac penitus destruantur; et iactis virtutum seminibus, nova sanctimoniae seges suboriatur, atque efflorescat, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Id nobis hodie praestandum est, dum Praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, huc adducti, Divino afflante Spiritu, Synodales aggredimur constitutiones. Ineunda sunt consilia, sanciendae leges, depascenda vitiorum luxuries, alenda, roboranda, ac vindicanda Religio, ne ab adversariis oppressa, et expugnata deficiat.

Verum enimvero parum nostri hic proderunt labores, si quisque nostrum de commisso sibi grege parum sollicitus, etiam extra hanc Synodum se constitutum a Domino minime arbitretur, ut evellat, et

destruat, aedificet, et plantet. Vocati in partem nostri muneris Sacerdotes meminerint, se Nobiscum villicationis rationem supremo iudici simul, et vindici reddituros. Quapropter timidi semper, et solliciti, quae hic ad corruptos mores corrigendos, bonosque servandos, vel etiam augendos sancimus, in operibus nostris iugiter descripta retineamus, ipsique simus veluti ipsaemet leges, quae caeteros instruant, atque informent ad sanctitatem. Siquidem cum quilibet inter homines dignitate principes Dei sit exemplar in terris; illorum vita, quorum dignitas proxime ad divinum Numen accedit, nonnisi coelestis esse debet, ut magistra sit morum, et caeteris norma vivendi. Et sane, cum tritum sit omnium sermone proverbium; ad regis exemplum orbem componi: qui populorum salutem accurant, virtutum omnium penore esse debent instructi. Boni enim moderatorum mores propugnacula sunt Christianae reipublicae, quae adversus hostium improbitatem nonnisi virtutum praesidio est utique firmanda. Immo et illam cum vitae discrimine tueri debemus. Nam si fere omnes adeo suae dignitatis amatores sunt, ut illam velint solummodo cum vita dimittere; quid turpius esset, quam nos dimissa Religione, cuius dignitati Reges insignia, fascesque submittunt, vitam retinere?

Porro si iisdem rationibus res conservantur, atque augentur, quibus partae sunt; iidem nobis perferendi

sunt labores, quos maiores nostri exantlaverunt, ut ipsa virtus, quae parens fuit nascentis Religionis, sit nutrix adultae. At neminem latet, quas illi Christiani imperii conditores aerumnas exceperint. Etenim diversi in remotissima loca abierunt, notas ignotasque terras peragrarunt, ut omnibus veritatis, et fidei lumen afferrent; ac per omnes calamitatum gradus Religioni aditum patefecerunt ad decoris culmen. Et quod magis mirari subit, vertentibus aureis illis saeculis, non modo infimi Ecclesiae ministri; verum etiam qui ad hanc sacram militiam nondum erant adscripti, sed tantummodo designati, universum orbem praeclarissimorum facinorum gloria, et maximarum admiratione virtutum impleverunt. Cum itaque ex huiusmodi initiis Religionis nostrae magnitudo excreverit; nos ipsam in Ecclesiae gremio ab iis relictam summo studio retinere non enitemur? Et cum tantum illi sanguinem effuderint, ut gloriam hanc nobis parerent; nos partam per summum dedecus negligemus?

Eia agite, sacrae Arae ministri: capite animi altitudinem et vestrae dignitati, et maioribus vestris parem. Vos, vos, inquam, Religionis custodes, propagatores, et vindices esse debetis. Vobis divinus Pastor suas oves commendat, vobis pascua, vobis fructus, et fructuum foecunditatem. Vestrum est aras tueri, disciplinam instaurare, et ab Ecclesia pestem

arcere. Destruite nimiam praeteritorum temporum licentiam, insigne Sacerdotis nomen pristinae dignitati restituite, ac pietatis antesignanos, sanctitatis proceres, et Catholicae Religionis primipilos vos exibete. Sic Ecclesia nostra erit veluti castrorum acies ordinata, vosque fortes in bello, praecincti virtutis gladio, sub fortitudinis signis merentes, de hostibus victoriam referetis, facturi tandem stipendia immortalitatis.

Tu interim, praecelsa Virgo Deipara, cuius patrocinio fovemur, Filium tuum, Servatorem nostrum, in cuius nomine hodie sumus congregati, enixe deprecare, ut nostris annuat incoeptis, quatenus ex hisce sacris Comitiis uberrimus percipiatur fructus, sicque Religioni suo adsidenti solio, ac victrici redimitae lauro plaudentes; io triumphe, uno ore conclamare valeamus, io triumphe.

SYNODI PROLUSIO

DECRETUM I.

De Officialibus Synodi.

Ut omnia decenti methodo dirigantur, et recto stent talo, sequentes Synodi Officiales statuimus, et deputamus.

Synodi Promotorem -- Perillustrem, et admodum Rev. D. Josephum de Sanctis Cath. Eccl. Can.

A Secretis -- Perill., et adm. Rev. D. Raphaelem Sorbo eiusdem Eccl. Canonicum.

Synodi Theologum -- Perill., et adm. Rev. D. Dominicum Sanitate eiusdem Eccl. Can. Poenitentiarium.

Synodi Notarium, et Magistrum Actorum -- Perill., et adm. Rev. D. Sabinum Penza eiusdem Eccl. Can.

Magistrum Coeremoniarum -- Perill., et adm. Rev. D. Nicolaum Caradonna eiusdem Eccl. Can.

DECRETUM II.

De Examinatoribus Synodalibus.

Nemini incompertum est, Tridentinos Patres decrevisse (1), in Dioecesana Synodo sex, vel plures Examinatores ab Episcopo esse proponendos, et ab ea probandos, ex quibus tres tantummodo eligi possint, qui ad cuiuslibet Paroecialis Ecclesiae curam concurrentium examen, et experimentum cum eodem perficiant Episcopo; quod ex iure novissimo in Ecclesiarum etiam Receptitiarum participationibus conferendis peragendum est. Huic itaque Tridentino decreto inhaerentes, ad huiusmodi munus gerendum proponimus, et nominamus nonnullos ad aliam usque Synodum duraturos, quos ex animo monemus, ut humanis sepositis affectibus, Deum, conscientiam, Ecclesiae utilitatem, et animarum salutem prae oculis habeant; necnon iurent, munus sibi demandatum se fideliter executuros. Hi autem sunt:

Perill., et adm. Rev. D. Hercules Chiomenti Cath. Eccl. Archidiaconus.

Perill., et adm. Rev. D. Michael Antonacci eiusdem Eccl. Can. Theologus.

---

(1) *Sess. 24 de Reform. C. 18.*

Perill., et admodum Rev. D. Michael d'Avenia eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Nicolaus M.a Chiomenti U. J. D. eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Dominicus Sanitate eiusdem Eccl. Can. Poenitentiarius.

Perill., et adm. Rev. D. Franciscus Quarticelli eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Belisarius Sanitate U. J. D. eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Joseph de Sanctis eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Raphael Chiomenti eiusdem Eccl. Can.

Adm. Rev. D. Joseph Chiomenti Congregationis SS. Redemptoris.

Adm. Rev. D. Aloysius Sanitate eiusdem Congreg.

Adm. Rev. D. Antonius Conte eiusdem Congreg.

Cuncti de Synodo responderunt: *Placent.*

DECRETUM III.

De Judicibus Synodalibus.

Cum ex eodem Concilio Tridentino (1), ac Constitutionibus Bonifacii VIII., aliorumque Summorum Pontificum constet, eligendos esse Synodales Judices, quibus causae Ecclesiasticae, ac spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes per Sanctam Sedem Apostolicam committi possint; hinc executioni id demandare cupientes, designamus sequentes:

Perill., et adm. Rev. D. Carolum Sabinum Gallo Cath. Eccl. Primicerium.

Perill., et adm. Rev. D. Nicolaum Caradonna eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Paduanum Schiavulli eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Aloysium Quarticelli eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. D. Dominicum Conte eiusdem Eccl. Can.

Perill., et adm. Rev. D. Sabinum Penza eiusdem Eccl. Can.

---

(1) *Sess. XXV de Refor. c. 10.*

DECRETUM IV.

De Testibus Synodalibus.

Sacro Concilio Generali Lateranensi IV. morem gerentes, Testes Synodales eligimus, qui irrepentes fortasse in hac Dioecesi abusus investigent, et ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem deferant; necnon inquirant, an ea, quae in hac Synodo statuenda sunt, observentur. Eorum autem nomina iure meritoque reticemus.

ACTA, ET CONSTITUTIONES SYNODALES.

PARTITIO.

Neminem fugit, Ecclesiam esse coetum hominum eiusdem Christianae fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris Vicarii Romàni Pontificis. Sic Bellarminus lib. 3. de Eccl. milit. cap. 2. Cum autem Synodales conventus congregatae Ecclesiae specimen exhibeant; hinc veluti sponte sua fluit huiusce Synodalis tractationis partitio.

Prima siquidem pars ea, quae ad fidem spectant, complectetur, ut ipsius depositum integre custodiatur. Secunda in recta novae legis Sacramentorum consecratione, ac dispensatione versabitur, ut ipsa suam adaugeant maiestatem, ac debitum sortiantur fructum. Tertia denique de Clericorum officiis, populique moribus pertractabit, ut si qua in re fortasse lapsa sit disciplina, instauretur.

IN NOMINE SS. ET INDIVIDUAE TRINITATIS,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Am.

PARS I.

DE FIDE CATHOLICA, EJUSQUE CONSECTARIIS.

CAPUT I.

De Catholicae Fidei professione.

Orthodoxa fides est humanae salutis initium, Christiani aedificii basis, divinique Numinis cultus firmamentum, ita ut ex ea iustus homo vivat, et sine ea impossibile sit placere Deo. Haec, ut Patres loquuntur, est mystica arbor, cuius in ramis Angelicae virtutes, velut coelorum aves, nidificant; huic insident, neglectis terrae virgultis, sublimes animae disciplinae, quae ex alto ducunt originem. Cum igitur ordine haec prima sit, genitrixque virtutum, summum Pastoralis ministerii munus semper fuit, eius illibatae puritati servandae pro viribus excubare, eiusque regnum ab ostium incursione defendere.

1. Hinc enixe commendamus, ut eidem orthodoxae fidei quisque firmiter inhaereat, eiusque actum

veritates de necessitate medii ad salutem explicite, caeteras autem implicite credendas complectentem, saepius eliciat.

2. Cumque fidei, quae una est, depositum traditum sit Uni Sanctae, Catholicae, Apostolicae, Romanae Ecclesiae, hanc quisque audiat, huicque venerabundus obtemperet, animo recolens pervulgatum illud Cypriani, et Augustini effatum: *Deum habere non potest Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem.*

3. Cum autem in ea incidorimus tempora, quibus quamplurimi sub ovina pelle lupinos mores fovent, quisque sibi ab iis caveat, et quaecumque venenosa haeresum semina, tanquam orthodoxae fidei adversantia, et ab Ecclesia damnata detestetur. Qui vero audierit aliquem de fide non bene sentire, aut perperam loqui, ad Nos legitime deferat infra mensem, ut quae magis expedire videbuntur, remedia tantis malis adhiberi queant. Qua super re Confessarios admonemus, ut hisce in casibus facultatum suarum fines perpendentes, suis poenitentibus iniungant, quidquid iuxta canones ipsis agendum est ad absolutionis beneficium assequendum.

4. Porro ut una, eademque ab omnibus fiat fidei confessio ad salutem, Tridentini Concilii decreto (1) inhaerentes, ipsam fidei professionem, quam

(1) *Sess. XXIV. de Reform. C. 1. e 12.*

Nos cum universa Synodo ab initio, iuxta formam a fel. rec. Pio Papa IV. praescriptam solemniter praestitimus, ab infrascriptis suo loco, et tempore eliciendam decernimus, sub poenis contra contumaces in eiusdem Pontificis constitutione statutis. Fidei itaque professionem emittent

I. Novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, et Ministri nostrae Curiae Episcopalis.

II. Dignitates, et Canonicatus in hac nostra Cathedrali Ecclesia obtinentes, tum in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis, tum in Capitulo intra bimestre post adeptam possessionem.

III. Beneficiati tam curati, quam sine cura coram Nobis, vel a Nobis delegato.

IV. Quotquot huic Synodo interesse deberent nec intersunt, intra duos menses ab ipsius publicatione.

V. Docentes publice, vel privatim in hac nostra Dioecesi Theologiam, Philosophiam, utrumque Jus, aliasque disciplinas.

VI. Novi Concionatores etiam Regulares.

VII. Novi Confessarii.

CAPUT II.

De mediis stabiliendae Fidei in animis hominum, et in primis de doctrina christiana.

Qui animarum curam gerunt, audiant Dominum per Prophetam clamantem: *Canite tuba in Sion, vocate coetum, coadunate populum, congregate parvulos, et sugentes ubera* (1). Tenella enim animarum germina sollicite, et premature e domibus sunt transferenda, ut divinorum fontium scatebris irrigentur, foveantur, et crescant. Non in solo pane vivit homo, nec solo lacte nutritur puer: habet et anima suum cibum, quo alitur, virtutumque divinarum sumit incrementum. Hoc nomine veniunt Fidei Catholicae rudimenta, quibus puerorum aetas ad vitam vegetatur solidiorem. Ut igitur etiam non petentibus panem non desideretur qui frangat, et ipsimet parvuli in fractione panis cognoscant Deum; quae sequuntur, praecipimus.

1. Parochi vel sic nuncupati Archipresbyteri, caeterique animarum Rectores ad sacri Concilii Tridentini praescriptum, Dominicis, aliisque festis diebus hora pomeridiana suos Parochianos in Ecclesiam convocandos curent; eosque fidei rudimentis, doctrinaque chri-

---

(1) *Joel.* 2.

stiana imbuant, unam semper, camdemque docendi regulam sequentes, quae servanda hic datur in Appendice ad Synodum. Quod si quis huic muneri desit; post primam, et alteram monitionem deputabitur ei Oeconomus, e Parochialibus redditibus subducto congruente stipendio sustinendus.

2. Cum autem quae specialius christiana virtus, et sanctitas sibi tempora vindicat, frequentia etiam spiritualium actionum ab aliis distingui deceat; hoc fidei doctrinam tradendi opus in Quadragesima a prima Dominica usque ad sextam Palmarum, quotidie animarum Rectores prosequentur, certiores peccati confitendi regulas praesertim docendo.

3. Cumque plures sint hebetioris ingenii, qui non capiunt verbum Dei, eos praecipuo studio, ac maiori charitate separatim edocendos assumant animarum Rectores, eadem mysteria saepius claris verbis, et similitudinibus eorum captui accomodatis repetendo, ac necessarias veritates sensim instillando.

4. Ut vero in tanto ac tam necessario munere habeant Parochi suos Coadiutores, nedum Sacerdotibus, sed et Clericis mandamus, ut in Fidei rudimenta edocendo illis operam praestent; secus Sacerdotes, qui vocati non accesserunt, graviter corripientur, atque ad examen pro confessionibus excipiendis nullatenus admittentur, Clerici vero ab ordinationibus arcebuntur.

5. At quoniam non pauci in campestribus ani-

malium custodiae addicti, rusticam sic vitam agunt, ut, post receptum salutaris aquae lavacrum, spirituali ibi absque educatore enutriti, neque an Spiritus Sanctus sit, unquam audiverint; aeternae illorum saluti quocumque modo consulere cupientes, Sacerdotibus, qui in Ecclesiis ruralibus sacris operantur, districte praecipimus, sub poena suspensionis a divinis, arbitrio nostro imponenda, ut post Evangelium alta voce, et patrio idiomate saltem sequentia edoceant: 1. Signum S. Crucis, 2. Mysteria SS. Trinitatis, et Incarnationis, 3. Symbolum Apostolorum, 4. Orationem Dominicalem, 5. Salutationem Angelicam, 6. Praecepta Decalogi, et Ecclesiae, 7. Septem Sacramenta, 8. Actus Christianos.

6. Atque ut in re tanti momenti nihil intentatum relinquatur, Parochi Patresfamilias, dominosque sedulo moneant, ut suos filios, ac famulos in doctrina christiana instituendos curent; animadvertentes, neminem tam in Baptismate, quam in Confirmatione Patrini munere fungi posse, nisi articulos fidei sufficienter calleat. Idipsum praestent Concionatores ex Pergamis. Confessarios etiam hortamur, ut Patresfamilias ac dominos interrogent, num praedictae obligationi satisfecerint; delinquentes vero graviter arguant, ac salutaribus poenitentiis afficiant. Si quos autem poenitentes iidem Confessarii animadverterint Trinitatis, et Incarnationis mysteriorum, quae necessitate medii ad

salutem explicite scire oportet, ignorantia laborare; eos in ipsis sacramentalibus confessionibus instruant, atque ad caetera addiscenda omni modo urgeant; immo aliquando poenitentiae loco id iniungant. Quod si poenitentes ea ediscere negligant, Confessarii, dummodo in Domino expedire iudicaverint, ipsorum absolutionem differant.

7. Quod ad Ludimagistros spectat, meminerint ipsi servare Lateranensis Concilii sub Leone X. habiti decretum, vi cuius alumnos suos semel saltem in hebdomada in christiana doctrina erudire teneantur. Nec quotidianas scholae exercitationes auspicentur, aut absolvant, nisi per religiosas preces flexis genibus ante sacram aliquam imaginem in omnium conspectu positam ab ipsis, et ab auditoribus uno labio, ac tota cordis devotione effundendas.

8. Utque eorumdem alumnorum animos magis magisque fide, ac pietate imbuant, eos compellant ad frequentandas spirituales Congregationes Regali Rescripto sub die 7. Junii 1821. provide sancitas, et a Nobis iam institutas iuxta normam in praefata Appendice tradendam.

CAPUT III.

De altero medio fidei stabiliendae, scilicet de verbi Dei praedicatione.

Quam pulchri sint evangelizantium pedes, divina testantur oracula, quae Fidei praecones mundi lucem appellant. Etenim terram perlustrantes, ut Sol coelum, lumine scientiae, pietatisque calore errorum tenebras depellunt, bonorum morum foecunditatem producunt; et quemadmodum olim Apostolorum Princeps umbra corporis languentes erigebat, sic isti doctrinae radiis aegras animas ad vitae spiritualis sanitatem restituunt. Utinam de quolibet Concionatore nostrae Dioecesis asserere liceat: » *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum!*

Ut id, quantum fieri potest, Concionatores assequantur, eos in Domino monemus, ne in humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis concionando doceant, et docendo sermones discentium ingenio aptent, et conforment. H nc caveant ipsi, ut Paulus clamat, ne verbum Dei adulterantes, aut iocis, tanquam histriones, aut conversi ad fabulas, uti Poetae, auditores sibi prurientes auribus coacervent, aut inanis facundiae lenocinio, et calamistrato dicendi genere praedicationem foede corrumpant. Sed conciones ad Sacrarum Scripturarum, Patrum, Con-

ciliorum, et Ecclesiasticae historiae amussim exigant. Nec historias, aut miracula minus certa afferant, aut inanes quaestiones pertractent. Praeterea ipsorum vita iis fulgeat virtutibus, ut nec Deus illos sic increpare possit: *Quare enarratis iustitias meas, et assumitis testamentum meum per os vestrum?* nec populi eos spernant, aiendo: *curate vos ipsos. Eiicite primum trabem de oculis vestris.*

2. Nec etiam desinant Concionatores a Parocho, gravibusque viris mores populi, ad quem conciones sunt habituri, diligenter exquirere, ut quidquid obiurgatione dignum compererint, e suggestu increpent; caventes tamen, ne ad particularia descendant.

3. Cum autem Apostolus scribat: *Quomodo praedicabunt nisi mittantur* (1)? hinc nemo sive Saecularis, sive Regularis in quibuslibet Ecclesiis, vel Oratoriis privatis, aliisque locis nostrae Dioecesis audeat, Nobis, vel nostro Vicario Generali inconsultis, quacumque ex causa Dei verbum praedicare. Nullus vero Regularis ad huiusmodi munus se admittendum putet, nisi litteras approbationis sui legitimi Superioris quoad mores, et scientiam exhibeat. Haec facultas denegabitur etiam Clericis, nisi in Diaconatus saltem Ordine sint constituti. Orationes autem funebres a nemine recitentur absque nostra expressa licentia.

(1) *Ad Rom. C. 10.*

4. Concionatores Quadragesimales, antequam munus auspicentur, coram Nobis se sistant ad nostram benedictionem, et quae videbuntur opportuna monita percipienda.

5. Conciones nunquam incipiant ante Solis ortum, nec excedant eius occasum, excepto Missionum tempore.

6. Dum sacrae conciones habentur, reliquae sileant Ecclesiae functiones, non exceptis ipsis Confessionibus, ni secus aliqua expostulet necessitas.

CAPUT IV.

De libris fidei, bonisque moribus infestis.

Quemadmodum piorum lectione librorum fides, et morum honestas aluntur, et roborantur; ita ex paginis, quas fascinatio nugacitatis obscurat, christianae vitae convellitur probitas, depravantur et mores. Non enim potest arbor mala bonos fructus facere, nec vitalia alimenta putridae dapes infundere valent. Huiusmodi libri calicibus assimilantur Babylonicae meretricis, qui extrinsecus deliniti sunt auro; intus vero veneno, et abominatione referti sunt. Haec, quae in animarum caedem intrat mors per fenestras oculorum, longius providè repellenda est.

1. Quapropter iure meritoque religiosissimus Rex

Noster *FERDINANDUS I.* regali decreto die 7. Mensis Maii 1821 edito sub gravibus poenis hos virulentos libros vetuit.

2. Nosque eadem gradientes via, regulas Indicis librorum prohibitorum, sub poenis, et censuris in eo expositis, ab omnibus servari praecipimus.

3. Hinc excommunicatione Summo Pontifici reservata innodari se sciant illi, qui libros, seu scripta, quae haeresim continent, fovent, aut sapiunt, penes se retinere, legere, dono dare, aliisque legendos tradere audebunt. Alios vero libros quoscumque, sive opera, licet haeresim non redolentia, nec de Religione tractantia, ab Ecclesia tamen aliis ex causis vetita, damnata, ac reprobata, qui legerit, aut retinuerit, gravi culpae, et poenis subiicietur.

4. Praesertim vero Ludimagistri cane peius et angue caveant, ne huiusmodi libros, aut alias res obscoenas, et amatorias continentes adolescentulis explanent, iisque evolvendos permittant; sed illis tantummodo utantur, qui pietatem sapiunt, et bonis moribus non adversantur.

5. Item ad praescriptum Constitutionum Xisti IV., et Urbani VIII., quisque sibi caveat a libris de Astrologia iudiciaria, Sortilegio, Necromantia, aliisque huiusmodi argumenta pertractantibus.

6. Libellos autem famosos, et satyras, sive sacrorum verborum, ut plerumque accidit, in iis adsit

abusus, sive non, per se, vel per alios componere, scribere, affigere, suadere, vel studiose pervulgare nemini fas sit.

CAPUT V.

De fidei iniuriis, ubi de blasphemiis, periuriis, et superstitionibus.

Proh nefas! Deum, cuius gloriam coeli enarrant; cuius maiestatem Angeli venerantur, et formidat infernus, quem cuncta eius opera laudant; solus homo in signum, cui contradicat, statuere non erubescit; Filiumque eius Jesum Christum, ad cuius nomen flectitur omne genu; nec non immaculatam Deiparam, cunctosque Coelites impiis labiis, sub quibus aspidum venenum absconditur, linguaeque nefaria sagitta, iaculari haud dubitat. Heu lacrymabilis blasphemorum conditio! Merito divina iustitia non aliis, quam gladii, famis, lapidum, flammarumque suppliciis eos percutere consuevit. Non minus execrabile est scelus illorum, qui periuria pronunciantes, gravem Deo, qui veritas est, iniuriam irrogant. Quid vero dicam de iis, qui Deum suum relinquentes Daemonibus se obstringere, atque adhaerere non contremiscunt? Verbo satis digno tam nefaria res explicari nullo modo potest. Ad huiusmodi mala averruncanda, pastoralis virtutis virga utamur.

1. Parochi in suis ad populum sermonibus blasphemiae gravitatem per species suas exponere summopere studeant; poenasque simul explicare tam canonicis, quam civilibus constitutionibus, et praesertim regali decreto anni 1821. praecedenti cap. IV. memorato, contra blasphemos latas, et huiusmodi crimen in nostra Dioecesi cum censura reservatum esse doceant. Parentes vero, ac domini acriter corripiant sibi subiectos filios, aut famulos blasphemiae crimine infectos. Eos autem, qui blasphemias cum haeresi coniunctas publice pronunciare ausi fuerint, ab audientibus denunciandos esse, neminem lateat.

2. Ad evellendam porro pravam temere iurandi consuetudinem, populum moneant Parochi, eam magnopere christianis moribus adversari. Norint ipsi, Chrysostomum per integram quadragesimam de iuramentis vitandis ad Antiochenum populum fuisse concionatum. Ad periuros vero deterrendos, doceant iidem Parochi, eos primitus homicidis, fornicatoribus, et adulteris adnumeratos fuisse.

3. Qui denique sortilegia, praestigia, maleficia, magiam, necromantiam, astrologiam iudiciariam, vel alia superstitiosa aut profitentur, aut in opus deducunt, ut daemonis opera, vel impulsu sive incognita sciant, sive futura scrutentur, sive odium inferant, sive amorem aucupentur, sive thesauros inveniant, sive aliorum votorum compotes fiant, nec non qui ad

huiusmodi diabolica molimina precibus, rebusque sacris abutuntur, excommunicationi Nobis reservatae ipso facto subiaceant: idque scientes denunciandi onere teneantur. Parochorum autem erit fideles sedulo monere, huiuscemodi crimina legibus tam civilibus, quam ecclesiasticis severissime mulctari.

CAPUT VI.

De fidei signis, et monumentis, ubi de observantia festorum.

Deus Sabbati sanctificationem praecepit filiis Israel in signum servitutis, atque, ut Ezechiel loquitur, ut scirent, quia ipse erat eorum Dominus, ac Deus. Statim autem a Domini Resurrectione Apostoli, eorumque discipuli pro Sabbato Dominicum diem solemnem fecerunt, ut tanti mysterii veritas fidelium cordibus perenni traditione insideret. Huic diei ex potestate a Christo accepta nonnullos alios addidit Ecclesia ad recolenda Christianae Religionis mysteria, ad B. Virginem Mariam venerandam, et nonnullorum Sanctorum memoriam celebrandam. Utinam paucos hosce dies debita pietate coleremus ad fidei splendorem, ac praesidium! At plurima sunt in causa, cur Neomeniam, et Sabbatum, et Festivitates non ferat Deus; cur illas in

planctum saepe convertat; cur Kalendas, et solemnitates oderit. Quibus quantum in Nobis est, occurramus, oportet.

1. Atque in primis cunctis pateat, Constitutione sub die 10. Mensis Aprilis anni 1818. edita ab immortalis recordationis Pontifice Pio VII. sublatum esse discrimen festorum unius, et duplicis praecepti a Benedicto XIV. appositum; atque integre Deo consecrandos esse sequentes dies; nimirum Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Domini Nostri Jesu Christi; item Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis in Coelum B. Mariae Virginis; denique SS. Patriarchae Josephi, Joannis Baptistae, Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum. In sola vero Neapolis Urbe festa etiam SS. Januarii, et Antonii Patavini servanda sunt.

2. Deinde notum sit omnibus, festos dies a praecedentis noctis dimidio incipere, et usque ad sequentis dimidium perdurare.

3. Enumerata festa, sicuti et dies Dominicos sanctificandi normam populos edoceant saepe Parochi. Acerrime corripiant eorum perfidiam, qui substantias suas augendi cupiditate abrepti, illicitis, servilibusque operibus non sine gravi animi nostri dolore in hisce diebus vacant; minime advertentes, quod *substantia*

festinata minuetur (1); et ea solummodo *bona est*, *cui non est peccatum in conscientia* (2). Extirpare satagant huiusmodi malum, quod adeo increvit, ut vix festi a ferialibus diebus discerni queant.

4. In id suam etiam curam intendant Confessarii. Ideoque cum experientia compertum sit operarios ad vineas, agrosque colendos assumptos, caeterosque mercede conductos ut plurimum invitos, et praesertim ne a famulatu eiiciantur, ad servilia opera diebus festis exercenda trahi a Dominis; hos praecipue arguant iidem Confessarii, ac ad eos absolvendos haud proclíviores sint.

5. Quoties urgeat necessitas, vel pietas suadeat, haud liceat fidelibus pro libito laborare, sed si in Civitate morentur, nostrum adeant Vicarium Generalem pro facultate obtinenda; secus Parochis fas sit eam, non sine debitis conditionibus, quoad tempus, modum, et rationem laboris, gratis impertiri, super quo eorum conscientiam oneramus. In rebus denique maioris momenti nostram permissionem tempore opportuno impetrandam curent.

6. Satis autem non est diebus festis ab operibus servilibus abstinere; nisi etiam Missae debita reverentia, et attentione audiendae praecepto satisfiat. A

(1) *Proverb.* 13.
(2) *Eccl.* 13.

quo onere nemo se eximere audeat, quamcumque interserens causam; defunctorum puta, vel nuptiarum pridie celebratarum, aut similium, sed tunc solummodo, cum vera, et legitima impotentia definetur, proprio Parocho haud inconsulto.

7. Cum vero Toletani Concilii III. decreto graviter eos peccare definiatur; qui festis diebus, audita tantummodo Missa, otio se dedentes, totam diem in aleis, et choreis in honestis, in ebrietatibus, commessationibus, aliisque vanitatibus, et peccatis, (quae in iisdem diebus graviora sunt), transigunt; ne propterea de ipsis apud Deum dicatur: *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam* (1); illos ex animo monemus, ut diebus sacris, Deo ipsi, ac spiritualibus vacare studeant; Ecclesias religiosius adeant; Sacramentis se mundent, communiantque; concionibus, divinisque officiis intersint; ac ferventius se in pietatis operibus exerceant.

8. Cumque quidquid a Divino servitio distrahere potest, diebus festis vetitum sit; hinc, exceptis contractibus nominatim a iure permissis, alii minime conficiantur, necnon iudiciales strepitus sileant.

(1) *Psalm.* 118.

CAPUT VII.

De aliis fidei signis, et monumentis, ubi de sacrosanctis Ecclesiis, et Oratoriis privatis.

Cum Altissimus maiestatis Dominus in orbis huius manufacta templa descendere, ibique thronum suum collocare non sis dedignatus, pronum erit colligere, qua veneratione sint eadem recolenda. Hinc Moysi in terra sancta stanti solvere calceamenta opus fuit, quippe quod vetitum sit quidquam terrenis sordibus aspersum ibi esse, ubi coelestia pertractantur. Hinc illud Prophetae testantis: *qui in terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Hinc ipse coelestis Agnus, cuius ipsa mansuetudo natura est, dexteram beneficiis assuetam flagellis armavit, ut orationis domum a negotiationum vindicaret iniuriis.

I. Quapropter in Ecclesiis fideles ea, qua decet devotione, silentio, et reverentia se gerant. Absint prorsus tam ab Ecclesiis, quam ab eorum atriis, et gradibus, ad praescriptum Constitutionis Pii V. dissidia, tumultus, clamores, et theatrales, scaenicaeque repraesentationes, et fastidiosae cantiones, quae a sacrificio, et oratione Dei fideles avertunt. Quod si quis inhonestum, et indecens aliquid in Ecclesia perpetrare ausus fuerit, praeter divinam indignatio-

nem, humanam quoque ultionem a sacris Canonibus, ac Civilibus sanctionibus praescriptam noverit se incursurum.

2. Laicorum conventus, iudicia, contractus, et quaecumque saecularia negotia, atque eorumdem consultationes, ac deliberationes, aut officialium electiones, (praeter illas, quae pro Ecclesiarum servitio peraguntur), omnino prohibemus.

3. Non inferantur, nisi ex officio, in Ecclesias arma, nequaquam vero ruralia istrumenta, aut poma, segetes, aut similia; nec in iis, aut in earum portica, et gradibus olera, et merces venditioni exponantur.

4. Matresfamilias, puellos, aut puellulas, quae ut plurimum sacras functiones perturbare solent, ad Ecclesias non deferant. Nec unquam mulieres, cuiuslibet conditionis sint, in Presbyteriis locum occupent.

5. Ne fidelium mentes a piis meditationibus, devotisque precibus abstrahantur, haud liceat pauperibus per Ecclesias eleemosynas, quaeritare, dum sacra fiunt, sed in earumdem vestibulo consistant.

6. Haud fas sit, Nobis inconsultis, extrahere ab Ecclesia cadavera.

7. Ad scandala removenda, mandamus quoque, ut Ecclesiae post signum salutationis Angelicae, sive post vigesimam quartam diei horam omnino claudantur; ab AEdituis nec aperiantur, antequam albescat

aurora. AEditui autem Chathedralis Ecclesiae, dum in ipsa degunt, nonnisi talarem vestem, matutino praesertim tempore, gestent; nec eamdem Ecclesiam, priusquam claudatur, ita deserant, ut nullus ipsorum in ea moretur. Secus a Chori Praefecto mulctentur.

8. Universis, ad quos spectat, sive Rectoribus, sive Sacristis, aliisque quovis nomine nuncupatis Ecclesiarum Praepositis in aedificiis, et parietibus sarta tecta; in altaribus maiestatem, in sacra supellectili munditiem, in reliquis omnibus decorem, et venustatem summopere commendamus, et si quid desit, quamprimum suppleri mandamus. Nec sacra supellex aliis usibus inserviat, quam Ecclesiasticis, et Deo dignis officiis, nec attrectetur, nisi ab hominibus Domino famulantibus.

9. Aquae lustralis concha ad dexteram ingressus in omnibus Ecclesiis habeatur; eaque semel saltem in mense, veteri in Sacrarium proiecta, renovetur. Aeris campani sonitus, qui salutares tubas populi Dei refert, nonnisi ad consuetos pios, et sacros usus, nunquam vero in profanos, convertatur.

10. Quaelibet Ecclesia, Cappella, Oratorium habeat suum Rectorem Sacerdotem a Nobis scripto diplomate approbandum: ab eoque claves custodiantur.

11. Sine Apostolicae Sedis licentia nemini liceat in superioribus domi partibus fenestras, aut spiramenta habere, ex quibus in Ecclesiam, aut publicum

Oratorium prospectus, vel aditus pateat. Et si quae huiusmodi absque praefata licentia adsint, iuxta plures Sacrae Congregationis ordinationes, praecludi praecipimus. Prohibemus insuper, supra Ecclesias, vel Oratoria habitationes construi, vel in sic constructis habitari.

12. Nemo absque nostra speciali licentia, et sufficienti dote, nec servatis aliis a iure statutis, publica Oratoria, Ecclesias, Cappellas, sive Altaria construere, ac erigere audeat. Secus ea interdicta censeantur. Nec fas sit ipsa iam aedificata, sine nostra licentia destruere, vel in alium usum convertere. Quod si ob aliquam causam id a Nobis concedatur; ligna, et alia id genus non laicorum, sed alterius Ecclesiae, vel religiosi loci ministerio, aut igni comburenda tradantur.

13. De Ecclesiarum immunitate iuxta novissima pacta conventa, solliciti sint earum Rectores; et si quid contra ipsam fuerit attentatum, ad Nos referant.

14. Quoniam vero non publica solum templa, sed privatas etiam domos maiestate sua implere dignatur Dominus; hinc qui ex Apostolica facultate privatum Oratorium erigere exoptant, decentiorem locum a Nobis recognoscendum ei preparare satagant. Immo si locum ipsum variari contigerit, nostrae etiam recognitioni subiectum volumus.

15. In Oratorio privato, ni aliud contineat indultum, unica tantum Missa eadem die, et quidem sine

cantu, aut aliis solemnitatibus, celebretur. Secus Oratorium remaneat interdictum, et celebrans Sacerdos suspensus a divinis.

16. Qui dictae Missae in diebus festis intersunt, praecepto haud satisfaciunt, nisi in Indulto comprehendantur.

17. Ex decreto Sacrorum Rituum Congregationis in Oratoriis privatis prohibetur Missam celebrare in diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Penteeostes, Annunciationis, et Assumptionis B. V. Mariae, SS. Apostolorum Petri, et Pauli, et Omnium Sanctorum. Hoc autem nostro Synodali decreto, eiusmodi prohibitionem extendimus ad festum Corporis Christi, et principis cuiuscumque loci Patroni, sub eadem poena superius inflicta, dummodo speciali Indulto Nobis exhibendo aliquis non fruatur.

18. Occasione a Missae celebratione in Oratoriis privatis arrepta, nequeat sive devotionis ergo, sive per modum Viatici Eucharistia infirmis in lecto decumbentibus, aut benevalentibus ministrari, sub poenis ad nostrum arbitrium infligendis.

CAPUT VIII.

De aliis Fidei signis, et monumentis, ubi de sacris Processionibus.

Sacras Supplicationes ingeniosa pietas excogitavit, sive in animi gratiarum memoris argumentum, sive ad Dei manus humanarum culparum vindices, instar Moysis, flagellis exarmandas. In iis fideles, veluti in agmina instructi, supplices ad Deum manus attollunt; adhibent odoramenta Sanctorum, ne ipsum offendat iniquitatum putor; et Ecclesiae cantus immiscent, ut ad Coelum ascendant. At saepe saepius hoc sacrificium laudis ita peragitur, ut potius iram Dei, quam eius indulgentiam provocet; adeoque sic ipse conqueratur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hinc abusus quosdam in publicis Supplicationibus a Satana inductos avellamus, oportet.

1. Idcirco nulla iurgia in Processionibus locum habeant, negotia nulla tractentur, proculque absint ab eis ioci, risus, et vana colloquia; sed ea animi religione, ac ita devote ipsae peragantur, ut universo populo praeluceant ad pietatem; nihilque in iis permittatur, quod ad hanc virtutem, et ad Dei cultum minime conferat.

2. Ut quaelibet tumultus, confusionis, et irre-

verentiae radix eliminetur, mandamus, ne aeratae fistulae, tormenta, aliave ignivoma instrumenta explodantur, nisi eminus, ita ut nullam populo molestiam valeant inferre.

3. Processiones matutino tantum tempore fiant; et in iis Crux apte, et decore praeferatur. Nullus autem Clericus, in quocumque sit gradu constitutus, ipsis interveniens abscedat praeter gravem necessitatem, antequam eaedem fuerint absolutae.

4. Processionibus Parochus intersit, vel eius OEconomus, cuius erit vias decentiores indicare, per quas ipsae gradiantur. Nullatenus autem extra proprii Oppidi fines eaedem protrahantur.

5. Generales processiones iuxta antiquam cuiuscumque loci consuetudinem haud omittantur, et praesertim in festo Corporis Christi, et praecipui Patroni, nec non in diebus Rogationum, S. Marci, et in Septuagesimae, cum Sancta Cruciata publicatur. Ad quas omnes de Clero tam Saeculari, quam Regulari, necnon Sodalitates Laicorum cum suis insignibus convenire tenentur, quae si desint, interdicti poena plectentur.

6. Si alias Processiones fieri opus sit, a Nobis, vel a nostro Vicario Generali licentia petatur.

CAPUT XI.

De praecipuo Fidei signo, et monumento, scilicet de Missae Sacrificio.

Inter innumera coelitus collata Christi fidelibus munera postremum profecto haud obtinet locum sacrosanctum Missae Sacrificium, in quo Agnus integer perseverans, eiusque caro, et sanguis Sacerdotum Ministerio incruento modo immolatur, et offertur. In eo quotidie Deo litatur usque ad consummationem saeculi; ac per eamdem hostiam, et victimam, quae in Crucis ara pro redemptionis humanae pretio Patri fuit oblata, uberrimus mortis Christi fructus nobis applicatur.

1. Exinde intelligant Sacerdotes, qua sanctitate, et reverentia hoc sacrificium ab ipsis sit peragendum. Quamobrem ad illud accessuri se ipsos probent, et sacramentalem confessionem, quatenus opus sit, praemittant, matutinas horas persolvant; mentali orationi per quadrantem saltem vacent; et preces in rubricis vel tabellis, quae in qualibet Sacristia adesse debent, descriptas eliciant.

2. Sacras vestes induendo, orationes recitent, et Dominica meditentur mysteria ad excitandum in cordibus suis amorem erga illum, qui *charitas est* (1),

(1) *I Joan. 4.*

et qui iuxta Psalmistam, *facit ministros suo signem urentem* (1).

3. Ad altare accedentes, et recedentes, necnon in ipso celebrationis actu ad populum se convertentes, nequaquam oculis huc, illucque vagentur, sed eos demissos habeant, et cum Regio Propheta *semper ad Dominum* (2): eumdemque deprecentur, ut illos prorsus avertat, *ne videant vanitatem* (3).

4. Nec imparati altare conscendant; sed missae totius ordinem prius perlegant. Coeremonias adamussim observent, et praecipitantiam evitent; animo reputantes, se lethalis peccati reos evasuros, nisi in tanto mysterio obeundo horae trientem saltem pertingant. Contrarium facientes in suis Ecclesiis celebrare haud sinant earumdem Ecclesiarum Rectores.

5. Nullus novus Sacerdos ad primam missam celebrandam accedere audeat sine nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, quam sibi nullatenus concedandam sciat, nisi ex iurata fide per nostrum coeremoniarum Magistrum, aut alium a Nobis deputandum emittenda constet, ipsum sacras coeremonias probè callere.

6. Omnes in vestibus nigri coloris non sordidis, aut inquinatis, nec dilaceratis, sed mundis, et ad ta-

(1) *Psal.* 103.
(2) *Bal.* 24.
(3) *Psal.* 118.

os usque descendentibus, necnon in anteriore parte clausis ad Missam celebrandam accedant, exceptis iter facientibus, qui tamen in sacristia illas accipient.

7. Nemo autem in celebratione suppileo utatur absque speciali Sedis Apostolicae dispensatione, nec annulo, etiamsi Doctor et Canonicus sit. Quod ab Alexandro VII., et Benedicto XIII, et XIV. decretum fuit, atque a Pio VII. confirmatum sub die 4. Julii 1823.

8. Nulli vago et ignoto Sacerdoti liceat Missam celebrare sine litteris dimissorialibus sui Ordinarii per Vicarium nostrum generalem in Civitate, in aliis locis per Vicarios Foraneos, et ubi hi desunt, per Parochos recognoscendis. Si autem triduum morae exteri Sacerdotes excesserint, Rectores Ecclesiarum semper Nos, vel nostrum Generalem Vicarium de hoc certiores faciant.

9. Cum autem omnia secundum ordinem fieri Apostolus iubeat (1), hinc ubi unus extat Sacerdos, Missa diebus saltem festis pro populi commodo celebretur: ubi vero plures adsunt, debitis distribuantur intervallis, ut unus post alium a solis ortu ad meridiem usque sacris fungantur. Nec simul duo, vel plures praesertim e conspectu sibi invicem terga vertentes, celebrent.

---

(1) *Cor. 14.*

10. Quoniam vero Parochorum Missis interesse, eorumque conciones audire, magnam affert animarum utilitatem, cumque expediat ad eas frequentiorem populum festis diebus confluere, ut quisque de ieiuniis, indulgentiis, et Ordinationum, Matrimoniorumque publicationibus, aliisque certior fiat; hinc nullus Sacerdos ante Missam Parochi, nisi de eius expressa licentia, celebrare audeat in quavis Ecclesia, Sacello, aut Oratorio, etiam occulte, et campanis silentibus, exceptis dumtaxat messis, atque vindemiae temporibus.

11. Extra tempus, quod ab aurora ad meridiem excurrit, nemo nisi, Apostolicae sedis privilegio fulciatur, Missam celebret, nocte Nativitatis Domini excepta, in qua tantummodo solemne sacrificium persolvatur.

12. In Missis privatis haud sinant Sacerdotes Calicis abstersionem, et compositionem ab inservientibus fieri; sed per se ipsos id celebrantes perficiant.

13. Nemo Missis, aliisque sacris functionibus collectam adiicere audeat sine nostro speciali mandato.

14. Ubicumque Missarum onera extant, publice in Sacristia suspensa habeatur Tabella, in qua fundatorum, et benefactorum voluntas, ac legata exprimantur, cum designatione numeri, et qualitatis Missarum, altaris, diei, et personarum, pro quibus sunt applicandae. Ubi deest huiusmodi tabella, infra bimestre conficiatur, et a nostro Generali Vicario subscribatur.

Adsit item in Sacristiis liber, in quo quotidiana sacrificia, quae persolvuntur, diligenter describantur ab ipsis celebrantibus. Quod si quis Sacerdos Missam non persolutam ibi adnotaverit, vel de eiusdem celebratione falsam, ac dolosam fidem confecerit, suspensionis poena plectetur. Praedictum autem librum quotannis in Sancta Visitatione recognitioni subiacere volumus.

15. Cum iustitia postulet, ut Benefactorum voluntati fides illibata servetur, praescribimus, tum Canonico Cantori pro tempore Ecclesiae nostrae Cathedralis, tum Parochis, Rectoribus, Sacristis, et Praefectis cunctarum Ecclesiarum, locorumque piorum Civitatis huius, ac Dioecesis, ut annuatim nostro Vicario Generali veram, distinctam, ac iuramento suffultam relationem exhibeant Missarum non celebratarum, quae attinent ad proprias Ecclesias, seu Cappellas, ut quae magis in Domino expedire iudicaverimus, decernere valeamus.

16. Missae vero non celebrentur, nisi in Ecclesiis, altaribus, ac diebus a fundatoribus praestitutis, ex decreto Sacrae Congregationis Concilii sub die 4. Augusti 1654.

17. Eiusdem Sacrae Congregationis decretis Urbano XII. auctore die 21. Junii 1625. editis inhaerendo, quibuscumque Ecclesiarum Rectoribus inhibemus perpetua Missarum onera deinceps assumere

absque nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia in scriptis obtinenda.

18. In die Coenae Domini nulli Sacerdoti absque speciali indulto liceat Missam celebrare, nisi pro venerabili Eucharistiae Sacramento in sepulchro condendo. Eiusdem vero sepulchri clavem laicis cuiuscumque dignitatis tradi prohibemus, sed ipsam poenes se Sacerdos retineat.

19. Ut omnis turpis quaestus, et simoniae labes vitetur, iuxta Tridentini Concilii decretum (1), cuiusvis generis mercedum conventiones, pacta, nec non importunae, atque illiberales eleemosynarum exactiones pro Missarum celebratione, praesertim vero in sacramentali confessione, vel eiusdem occasione prorsus eliminentur.

20. Mercimonium quoque, seu detentionem partis stipendii accepti pro Missae satisfactione, quae alii celebranda committatur, sub gravi prohibitam recordentur Sacerdotes, necnon laici; hi ne excommunicationis, illi ne suspensionis Summo Pontifici reservatae cuspide percutiantur.

21. Caveant etiam Sacerdotes, ne nova manualium eleemosynarum onera, veteribus non persolutis, recipiant, nisi aliud eleemosynas praebentibus placuerit. Ji vero, qui quotidiano Missarum onere tenen-

---

(1) *Sess.* 22.

tur, etsi aliquando ob Sacramenti reverentiam a celebratione possint abstinere, si tamen celebrare voluerint, nullam pro Missa eleemosynam accipere valent.

22. Sacrificio absoluto, Sacerdotes non ad extraneos illico se convertant actus, sed gratias Deo agant, eiusque Filio Jesu Christo, qui eos *cibo invisibili, et potu, qui ab omnibus videri non potest* (1), pascere dignatus est; ac in tam ingentis beneficii consideratione aliquandiu sistant.

23. Nobis Pontificalia exercentibus, non solum cuncti de Capitulo propriis amicti insignibus, sed etiam omnes Clerici Civitatis in tonsura, abitu talari, et superpelliceis assistere debent. Quo tempore nemini liceat in alio Cathedralis Ecclesiae altari Missam celebrare, vel in aliis Civitatis Ecclesiis alias sacras peragere functiones.

24. Fideles vero decenter compositi, et flexis genibus, quoad possint, nec altaribus innitentes, Missae celebrationi intersint; ita ut se mente, ac devoto cordis affectu, non corpore tantum adesse palam faciant. Idque plebanos suos edocere haud desinant Parochi.

---

(1) *Tob.* 12 19.

CAPUT X.

De fidei testibus, et pignoribus, ubi de Sanctorum veneratione, eorumque Reliquiis, Imaginibus, et Miraculis.

Magna profecto veneratione, et cultu dignos esse Sanctos, liquet apud omnes orthodoxae fidei sectatores. Si enim in carne viventes fuerunt Spiritus Sancti habitacula, Christi Domini membra, triumphatores, et amici Dei, ac aeternae gloriae laurea redimiti, non minus sunt de nostra salute solliciti, quam de sua felicitate securi. Hinc Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis, operam dat, ut nomina eorum vivant in generationem, et generationem, signis, et prodigiis ipsorum reliquias, ac imagines illustrando. Ideoque eas in honore, et pretio habendas esse Scriptura evincit, Traditio docet, Ecclesia definivit.

1. Quapropter Parochi, et Concionatores frequentibus populos hortationibus excitent ad pietatem, ac reverentiam erga Sanctos, quorum reliquiis eorum decorantur Ecclesiae, nec non ad confitendum in virtute, et meritis ipsorum apud Deum.

2. Nunquam Laicis, sed tantummodo Sacerdotibus liceat reliquias attrectare; nec, nisi ipsis superpelliceo, ac stola indutis, eas ad Altare deferre, ibi-

que exponere fas sit, congruo cereorum numero collucente, atque adhibitis consuetis coeremoniis, hymnis, et orationibus. Nullatenus vero insignium reliquiarum translatio fiat, nisi prius a Nobis, vel a nostro Vicario Generali licentia obtineatur.

3. Reliquiae non nisi in loculis, seu thecis argenteis, vel auro contectis, aut alio decenti modo ornatis, nec non chrystallo munitis asserventur, illius sigillo apposito, a quo ipsae recognitae, et approbatae fuerint. Sicque eae se habeant etiam, cum a Sacerdotibus ad fidelium osculum iuxta veterum consuetudinem porriguntur. Dictae thecae tantum in Templo, vel Sacristia in armariis ad hoc constitutis serventur; armaria vero ab Ecclesiarum Praefectis custodienda munita permaneant; eisque haec sit forinsecus epigraphe: *Reliquiae Sanctorum*.

4. In çelebrando die festo, cum solemni sacrificio Missae, et Officio duplici, illius Sancti, cujus sacrae reliquiae in aliqua Ecclesia asservantur, desumatur regula ex decreto Sacrae Rituum Congregationis, quod Urbanus VIII. approbavit, et in Breviario Romano adnecti iussit.

5. Quicumque sacras reliquias, aut aliquam earum particulam vendere, vel surripere attentaverit, causa cognita, excommunicationis gladio feriatur.

6. Cum sanctissima Eucharistia nunquam in Tabernaculo reliquiae socientur, neque in sepulchralibus

machinis feriae quintae in Coena domini exponantur. Ad Ægrotos pariter illas asportari, aut in eorum aedibus pernoctare, vel diutius manere prohibemus, nisi prius a nobis, vel a nostro Vicario Generali venia obtineatur.

7. Ut autem verae reliquiae a fictitiis distinguantur, quod Concilia Lateranense IV., et Tridentinum sedulo commonent (1), mandamus, ut nemo reliquias recenter inventas publice venerari presumat, nisi prius Romani Pontificis auctoritate fuerint approbatae.

8. Utque omnis turpis quaestus vitetur, nebulones, et circulatores reliquias Sanctorum circumferentes, atque commentitia venditantes miracula, iuxta sacros Canones, interdicimus.

9. Ne autem quorumdam credulitatem variis figmentis, aut falsis documentis decipi contingat, sicut in plerisque locis praefati quaestus gratia fieri consuevisse monet Innocentius III. (2), volumus, eas tantum reliquias a Parochis exponi, quae vel per antiquissimam populorum venerationem commendatae sunt; vel in Ecclesiarum tabellis nominatim adnotatae reperiuntur, ut a quolibet legi queant; vel debitis authenticis a Nobis recognitis, aut probandis non carent.

10. Ut Tridentini Concilii imperata fiant, ubi

(1) *Cap. 2. de Reliq. et Trid. eod. decr.*
(2) *Cap. 2.*

desunt sacrarum reliquiarum elenchi, intra trimestre a Synodi publicatione conficiantur, et ad Nos transmittantur, quo ad perpetuum monumentum in nostro Archivo servandi collocentur.

11. Beatorum, qui nondum ab Ecclesia Sanctorum albo adscripti sunt, reliquias publicae venerationi exponi, vel in processionibus deferri prohibemus, absque speciali Apostolicae Sedis indulto.

12. Imagines pariter Christi, Deiparae Virginis, et Sanctorum in Ecclesiis habendas, et debito honore retinendas commendamus, ut eorum virtutes Fideles ad memoriam revocent, et imitari omni studio conentur.

13. Quoniam vero honos, qui sacris imaginibus habetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ut devotionem erga ipsas fidelibus iniicere valeant, sint decenter efformatae, neque vel ex nimia vetustate, vel humiditate, vel artificis imperitia, aliisve de causis deformes. Quas autem in peractis Visitationibus restaurari praecepimus, restaurentur; quas removeri, removeantur, earumque cineres in piscinam immittantur.

14. Eas in templis, et Oratoriis prohibemus imagines, quae sacrarum litterarum veritati, aut Ecclesiasticis traditionibus, historiis, institutis, ac ritibus vel

(1) *Sess. 25. tit. 4.*

minimum adversantur; illasque solummodo permittimus, quas inde depromptas pietas, ac religio agnoscit.

15. Nullam praeterea ab antiqua Ecclesiae consuetudine diversitatem sacrae imagines praeseferant, nec sub indumento alicujus peculiaris Ordinis exprimantur, quemadmodum Tridentinum Concilium, et Urbanus VIII. decreverunt (1). Qui ab hac norma discesserit, excommunicationis poena afficietur.

16. Ii, ad quos spectat, nequaquam in Ecclesiis, aliisque sacris locis deinceps novas quascumque immagines, aut cruces exponi sinant, Nobis inconsultis, et nisi prius per Nos consueta benedictio fuerit impertita. Secus eaedem Ecclesiae, aut alia sacra loca Ecclesiastico subiaceant interdicto.

17. Ad sacras imagines extra Ecclesiam constitutas non solum sonitus, cantusque efformari, aliaque profana peragi, verum etiam psalmodiam, vel alia sacra celebrare vetamus.

18. Imagines, aliaque signa sacra, quae in publicis parietibus extra Ecclesias pinguntur, aut sculpuntur, quatuor saltem palmis supra terram emineant.

19. Sine Apostolica concessione in Templis, et Oratoriis, praesertim ubi Missae sacrificium, et divina persolvantur officia, nequeant eorum imagines ex-

(1) *Trid. Sess. 25. de sac. imag. Urb. Const. 51*, Sacrosanct.

poni, qui Sanctificationis lauream nondum adepti sunt.

20. Juxta Urbani VIII. Costitutionem (1), ad eorum sepulchra, qui sanctitatis fama cohonestati e vivis excessere, nec laureolae, aut radii sanctitatem connotantes depingantur, nec lampades, aut luminaria accendantur, nec votivae suspendantur tabellae.

21. Votivae oblationes cuiuscumque generis alicui altari, aut sacrae imagini exhibitae, nunquam inde amoveantur. Si vero alicuius privatae domus imaginibus, publice tamen expositis exhibitae illae fuerint, non ad dominos eius domus, sed ad Parochialem Ecclesiam, intra cuius fines eadem domus posita est, omnino spectent, prout sacra Congregatio Concilii declaravit (2).

22. Si quis Sanctorum reliquias, vel imagines veneratus, aliquid animadvertat, quod naturae vires excedere credatur, non publicet tanquam miraculum, nisi prius ad Nos referatur, qui, re rite perpensa, quod expedire videbitur, peragemus. Idem servari volumus, si ad corpora, vel imagines venerabilium, aut aliorum pie decedentium, qui ab Ecclesia adhuc inter Sanctos, et Beatos recensiti non sunt, quidquam miraculosum contigerit.

(1) *Const.* 37. Sanctissimus.
(2) *Barbos. de off. et pot. Parochi part.* 2. *cap.* 24.

CAPUT XI.

De fidei emolumentis, ubi de indulgentiis, et suffragiis.

Ecclesiae thesaurus ex infinitis Christi meritis coalescens, quibus etiam uniuntur SS. Dei Genitricis, ac Sanctorum merita, est uberrimus fons, unde originem ducunt indulgentiae. Cumque eae satisfactionis, ac poenarum, quae post peccatorum remissionem luendae manent, loco habeantur; ipsas nobis haud exiguam afferre utilitatem extra omnem dubitationis aleam constitutum est. Quapropter aequissimum est, libratumque PP. Tridentinorum iudicium (1), qui potestatem conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessam, earumque usum Christiano populo maxime salutarem esse definierunt.

1. Idcirco cunctos nostros Dioecesanos admonemus, ut nullam dimittant occasionem lucrandi indulgentiarum thesaurum.

2. At quoniam ad huiusmodi thesaurum acquirendum plura requiruntur, quae ab hominibus praesertim rudibus ignorantur, ex quo fit, ut *vacua spes illorum* (2), et inutilia opera ipsorum reddantur; hinc

---

(1) *Sess. XXV. decr. de indulg.*
(2) *Sap.* 3. 2.

Parochi docere haud omittant, ad indulgentias lucrandas opus esse, ut quis sanctificantem gratiam adeptus fuerit per poenitentiae Sacramentum, si mortalis peccati cuspide sancius sit. Quandoquidem nequit poena remitti, nisi prius fuerit culpa remissa. Requiritur praeterea, ut cuncta iniuncta opera ad unguem impleantur, nisi cum causa existente, a Confessariis facultate gaudentibus aliquod eorum commutetur.

3. Cum autem omnis hac in re abesse debeat abusus; ideo ne apocryphis, ac supposititiis indulgentiis publicandis locus detur, nemini liceat, quacumque exemptione suffulto, in Ecclesiis, aut Oratoriis eas, aut earum summaria exponere, vel, ut exposita maneant, efficere, nisi recognitio nostra praecesserit, ipsasque publicandi licentia a Nobis gratis, et in scriptis danda impetrata fuerit. Solis enim locorum Ordinariis huiusmodi potestas a S. G. T. tributa est, et non aliis. Id etiam servetur, quoties alicui Confraternitati indulgentiae concessae fuerint, iuxta Clementis VIII. Constitutionem (1).

4. A publicatione, et usu indulgentiarum omnem prorsus quaestum, et mercedem abesse volumus. Quocirca earum transumpta nunquam iis in locis affigantur, ubi capsulae ad colligendas fidelium eleemosynas existunt.

(1) *Const. 115. Quaecumque.*

5. Eremicolae etiam caveant, ne indulgentias disseminent, aut aliquas orationculas distribuant, quibus falsitas, aut vana inventio subesse solet.

6. Indulgentias pro animabus etiam in Purgatorio degentibus concedi posse per modum suffragii, ostendit antiqua Ecclesiae consuetudo. Eas autem animas orationibus quoque, eleemosynis, aliisque similibus, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari eadem Ecclesia, et Tridentinum Concilium, ex sacris litteris, et antiqua Patrum traditione definivit, ac summopere commendavit (1).

7. Hinc curent Parochi, ut quaelibet pietatis opera, quae a viventibus fidelibus pro defunctis fieri consueverunt, ex Ecclesiae institutis, pie, ac devote peragantur.

8. Moneant etiam Parochi haeredes, aliosque, a quibus defunctorum voluntates executioni mandandae sunt, ut legata ab iis per ultima testamenta, sive ad pias causas, sive pro eorum conscientiae exoneratione disposita, tempore ab iisdem praescripto, alias intra annum a die obitus eorum persolvant. Comedere enim sacrificia mortuorum, eorumque animas in poenarum atrocitate, per desidiam, aut avaritiam diutius detinere, nedum iniustitia, sed inhumanitas, imo immanitas est.

(1) *Sess. XXV. decr. de Purg.*

CAPUT XII.

De fidei effectibus, ubi de ieiunio, aliisque bonis operibus.

Fidem sine operibus salvare non posse, atque uti mortuam esse reputandam, scribit S. Jacobus (1). Et Augustinus addit: *Fides prima datur, ex qua caeterae virtutes impetrantur* (2). Virtutum autem, teste Hieronymo ad Demetriadem, fundamentum est ieiunium. Hoc mentem purgat, carnem spiritui subiicit, concupiscentiae nebulas dissipat, sanguinis ebullientis ardores extinguit, castitatem fovet, et humilitatem commendat. Hinc ieiunii virtutem Christianae militiae robur esse, Christus Dominus commonstravit, quando Averni saevis cum potestatibus congressurus, ieiunii clypeo munitus in certamen prosiluit, victorque evasit. Ne igitur tam salutare remedium non solum Christi, sed et Prophetarum exemplo consecratum, necnon ab Apostolis commendatum, et ab Ecclesiae incunabulis statis temporibus iniunctum, nostra pereat negligentia, eius observantiam promovere satagimus.

1. Primum autem omnibus notum sit, iuxta con-

(1) *Cap. V. vers. 26.*
(2) *De Praedest. SS. cap. VII.*

stitutionem die 10. Mensis Aprilis anni 1818. a Pio VII. editam, et alias enunciatam, ieiunii legem praeter Quadragesimam, et quatuor anni tempora, observandam esse in singulis feriis sextis, et Sabbatis sacri Adventus, necnon in vigiliis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Festi Omnium Sanctorum, Apostolorum Petri, et Pauli, et Assumptionis Beatae Virginis Mariae.

2. Itaque cum dies, vel tempora ieiuniorum accedunt, eadem Populo annuncient Parochi praecedenti Dominica, vel alio die festo. Qua occasione arrepta, ipsi docere haud omittant, iuxta Ecclesiae scopum in ieiuniis iniungendis, debitum inhaerens omnibus, eadem persolvendi ea, qua decet, pietate, ut gratiam consequantur, et misericordiam in auxilio opportuno, iis exceptis, quos inevitabilis necessitas, immatura, vel imbecillis aetas, vel morbi vis, vel alia probata causa a ieiunii lege eximat. Praesertim vero in omnibus vigiliis, ab Ecclesia praescriptis, et in Quadragesima suis plebanis pridie post Solis occasum, certo signo dato, ieiunii observantiam indicabunt.

3. Ad omnem abusum tollendum, vel impediendum, doceant Parochi, haec duo ad servandum ieiunium ab Ecclesia definita esse, et fidelibus inculcata: » ut nulla sive peculiaris, sive generalis pro » aliqua Civitate, vel oppido concedatur facultas, » adhibendi carnes ad mensam tempore ieiunii, vel

» Quadragesimae, nisi conditio servandi ieiunium, sive » unius comestionis interponatur, et illud quoque mo- » nitum addatur, nequaquam licere mensam eandem » carne, et piscibus instruere; et in vespertina re- » fectiuncula non licere vesci carnibus, sed eo cibo, » eaque uti potione, quibus utuntur ieiunantes rectae, » et meticulosae conscientiae ». Sic apposite sancivit Benedictus XIV. generali Constitutione, quae incipit: *Libentissime*, aeque ac alia, cui initium: *Si fraternitas.* Quae omnia prae oculis habenda, et populo a Parochis enucleanda sunt.

4. Feria vero sexta, a Sabbato, ex veteri Ecclesiae consuetudine, et praecepto, abstinentiam ab usu carnium, et adipum ad usum condimenti summopere inculcamus, cum experientia compertum sit, in hoc plerumque hisce tempestatibus peccari.

5. Qui in Quadragesimali ieiunio iustas ob caussas valetudinem respicientes dispensatione indigent, nonnisi *de utriusque medici consilio*, eam permissam esse sciant (1).

6. Medici autem, iique ad quos spectat, satis libenter haud concedant, nulla cogente necessitate, a Quadragesimali observantia exemptionem; ne aliorum gulae blandientes, commeritam portionem in cruciatuum aeternitate sibi acquirant.

---

(1) *Bened. XIV. Const.* **Non ambigimus.**

7. Ubi pia invaluit consuetudo ieiunandi in vigilia alicuius Sancti, praesertim Patroni, eam servari optamus.

Potissimum vero populi oculis subiiciant Parochi illud Augustini: *Jeiunium magnum, et generale est abstinere ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus saeculi* (1). Siquidem ad corporalem abstinentiam vitiorum fuga, orationibus, eleemosynis, et Sacramentorum, praesertim Poenitentiae frequentia accedentibus, suscepta ieiunia utramque facient paginam.

9. Advenientia quatuor temporum ieiunia Parochi praenunciantes fidelibus, eosdem moneant, eo etiam fine fuisse illa ab Ecclesia instituta, ut idoneos sortiantur Ministros. Tunc igitur rogabunt Dominum messis, *ut mittat operarios in messem suam* (2).

---

(1) *Tract. 17 in Joan.*
(2) *Matth. 10 v. 37.*

PARS II.

DE SACRAMENTORUM CONSECRATIONE, ET DISPENSATIONE.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Christus Dominus tanto in Ecclesiam suam, quam sui sanguinis effusione fundavit, exarsit amore, ut non solum ei cunctis spoponderit diebus se affuturum; verum etiam super septem divinitus excisis columnis, quae septem merito Sacramenta putantur, ipsam construxerit. Huiusmodi columnarum virtute, non secus ac igneae Columnae, quae Israelitis praesto erat, fulgore acquisitionis populus per asperum Mundi huius desertum ad beatam promissionis patriam, coelestemque Hierusalem inoffenso pede perveniet. Per Sacramenta misericordiarum aquae hauriuntur in gaudio de fontibus Salvatoris, et infinita ipsius Passionis, et Mortis merita hominibus applicantur. Exinde colligere licet, quantum intersit nosse iis bene uti. Quamobrem infrascripta servanda statuimus.

1. Cum sancta sancte tractanda sint, exhorrescant Sacerdotes ii, in quorum manibus iniquitates sunt, dexteràm suam replere muneribus pretiosissimis Sacramentorum. Quin imo singulis ferme temporis momentis, se integros vitae, scelerisque puros custodire conentur, ut Sacramentorum administrationi semper praesto sint. Quod si quis gravis reatus se conscium senserit, prius Poenitentiae Sacramento suam emundet conscientiam; et ubi necessitas urgeat, non nisi elicito contritionis actu ad tantum ministerium accedat; ne dum aliis coelum reserat, sacrilego ipse ad Inferos se pondere deprimat.

2. Ne Sacramenta nullitati exponantur, vel illicita eorum administratio reddatur, Parochi, aliique, ad quos eorum ministratio spectat, optime calleant, quae eorundem essentiam respiciunt, atque a materia, et forma constitutis ne latum quidem unguem discedant; nec non in verbis attente, distincte, ac devote pronunciandis, Christi institutoris, sanctaeque matris Ecclesiae intentioni se se conforment.

3. Cumque invisibilia Dei per visibilia Religionis, ac pietatis signa, quae caerimoniarum nomine censentur, intellecta conspiciantur; hinc in Sacramentorum administratione, aeque ac in aliis Ecclesiasticis functionibus obeundis, non pro libito inventi, et irrationabiliter inducti, sed recepti, et approbati Ecclesiae Catholicae ritus, qui in minimis etiam sine pec-

cato negligi, omitti, vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Solemnitates itaque, et ritus Rituali Romano, (quod in qualibet Ecclesia, ubi animarum cura geritur, adesse debet) non congruentes, deviteutur, non obstante contraria consuetudine; cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum; et regula sit, non cantari, nisi quod legitur esse cantandum (1).

4. Sola Sacramenti Eucaristiae forma secreto proferatur; aliorum vero clara voce, ut ab iis saltem audiri possit, quibus Sacramenta ipsa ministrantur, eodemque tempore formae verba pronuncientur, quo Sacramenti materia suscipienti applicatur.

5. Sacramenta, praesertim Baptismi, Eucharistiae Poenitentiae, ac Matrimonii extra necessitatis casum in Ecclesia ministrentur; nec alibi absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia. Ubicumque, tamen ipsa ministrentur, talaris vestis, superpelliceum, et stola, omnisque solemnitatis decentia adhibeatur. Cum autem id in Confessionibus excipiendis non tam facile evadat; tunc saltem, cum commode fieri potest, servari optamus.

6. Quoniam vero, ut ait Innocentius III. (2), » nimis absurdum videtur in sacris sordes negligere,

---

(1) *S. Aug. in suis Regulis.*
(2) *Cap. II. de cust. Euch.*

» quae dedecerent etiam in profanis » hinc vasa, vestes, aliaque omnia, quae ad Sacramentorum usum, et ministrationem ordinata sunt, munditiam, puritatem, ac nitorem maximum sapiant.

7. Cuilibet Sacerdoti, etiam Regulari, vetitum sit Sacramenta in aliena Parochia absque Parochi licentia ministrare, nisi forte urgens necessitas, et eiusdem Parochi absentia accidant.

8. Ut autem Sacramenta debita suscipiantur reverentia, Parochi saepe populum edoceant illorum excellentiam, et virtutem, ac spirituales fructus ex iisdem prodeuntes; nec non sanctiores coeremoniarum significationis, quibus ipsa conferuntur, ac requisita ad eorum dignam susceptionem. Quam doctrinam exponentes praefati Parochi, Catechismo Romano praecipue utantur.

9. Moneant etiam populum animarum Rectores, praeter pietatem, puritatem, animique debitum candorem, exteriori quoque corporis habitu, et modestia ad Sacramenta accedendum esse, ac proinde viros non nisi armis depositis, et mulieres honesto, humilique ornatu, semperque velato capite eadem Sacramenta suscipere sinent.

10. Et quia praecipua hominum salus Sacramentis innititur, animarum Rectoribus iniungimus, ut quotiescumque ad illa ministranda fuerint acciti, nulla interposita mora properent. Quod si inertia capti id

praestare negligant, aut ipsorum oscitantia fiat, ut aliquis absque Sacramentorum subsidio ex hac vita discedat, praeterquam quod ultionum Domino, qui de ipsorum manibus sibi traditas oves requiret in die iudicii, rationem reddent, gravi etiam a Nobis poena plectentur.

11. Plurimum autem in Domino monemus singulos Sacerdotes, ut quoties a Parochis plurium infirmorum numero gravatis ad spiritualem adsistentiam iisdem praestandam arcessentur, ad tantum pietatis opus pervolent, memores illorum Domini verborum; *infirmus eram et visitastis me. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (1).

12. Cumque in Sacramentis conferendis, omnis simoniae labes, et avaritiae suspicio devitanda sit, caveant, qui ea ministraturi sunt, ne quid directe, vel indirecte petant. Scriptum est enim: *Gratis accepistis, gratis date* (2). At ea, quae legitima consuetudine firmata sunt, non inhibemus.

(1) *Matth. 25 v. 36. et 40.*
(2) *Idem. 10. 8.*

CAPUT II.

De Sacramento Baptismatis.

Praecelsioribus divinae misericordiae donis Baptismatis quidem Sacramentum accensendum esse, nemo est, qui non videat. Clauserat enim generali suo naufragio felicitatis ostium universis filiis suis protoparens Adam. At quid? Miseratione divina factum est, ut adeo efficax, et salutare medicamen pararetur, ut vix dici possit. Deperdita enim Adamitica soboles Baptismatis lavacro aspersa, originis culpa deleta, charactere impresso, gratiam, et quidem uberiorem acquirit, innocentiae stola denuo induitur, et ius ad gloriam consequitur. Ecquis igitur mortalium hoc coeleste perpendens donum, Creatorem suum, suumque Redemptorem, facie humi strata, non iugiter laudabit, aeternasque eidem toto corde non rependet gratias?

1. Quod si Baptisma Sacramentorum ianua est, et *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei* (1); facile erit colligere, quo facinore conspurcentur, quibusque poenis innodentur impedientes huiusce saluberrimi Sacramenti, et ad salutem absolute necessarii collationem. In hoc luto pedem figunt sive foeminae, sive viri

(1) *Joann.* 73. *v.* 5.

quomodocumque, et quovis praetextu consulentes, vel procurantes abortum, praesertim foetus animati; qui praeter poenas tum Ecclesiasticas, tum Civiles inflictas, se ab Ecclesiae sinu eiectos sentiant, et ad suscipiendos, exercendosque ordines inhabiles reddi, ac sciant in casum etiam a Nobis cum censura reservatum incidere.

2. Ex dictis arguere etiam licet, qua cautione aeque ac prudentia praegnantibus sit incedendum, ne vel desperatione, vel intemperantia, vel domesticorum improbitate ductae, vel insuetis oneribus se gravantes, quamdam veluti vim utero inferentes, occasionem non sine culpa abortui praebeant. Imo tunc ipsae orationibus, ac pietatis operibus vacare debent, ne earum liberi sine hoc regenerationis lavacro decedant. Insuper post renatos infantes pro tanto beneficio grates Deo reddere non omittant, et laudabilem consuetudinem sectantes, statuto tempore benedictionem Sacerdotalem in Ecclesia recipiant ad formam Ritualis Romani. Haec monita tradere Confessariorum est.

3. Ut hoc adeo necessario regenerationis lavacro infantes quam citius mundentur, operam dent Parochi. Eos autem parentes, qui infra octavum ab ortu diem suos filiolos baptizandos haud curant, Nobis, vel nostro Vicario Generali, illico notos faciant. Quod si ipsorum, quibus animarum cura commissa est, ne-

gligentia, aut culpa accidat, ut infans aliquis sine Baptismatis susceptione pereat, graviter in eos animadvertemus.

4. Solummodo in Ecclesiis, ubi fons Baptismalis habetur, Baptismatis Sacramentum administretur. Si vero urgente periculo, quempiam privatis in aedibus baptizari necesse sit, baptizati, eiusque patrini nomina in Ecclesiae libro Parochus accurate describat; idemqne patrinus, cum coeremoniae, cessante periculo, in Ecclesia supplentur, intersit.

5. Patrini, qui olim Susceptores, Sponsores, seu Fideiussores a rerum divinarum scriptoribus vocabantur, nunc autem Compatres, quique ex vetustissima Ecclesiae consuetudine in Baptismatis collatione adhibendi sunt, non sint plures; sed iuxta sacrorum Canonum, et Tridentini Concilii decreta (1), unus tantum, vel duo ad summum, vir scilicet, et foemina, iique prius moneantur de cognatione Spirituali, quam cum baptizato, eiusque parentibus contrahunt, necnon de debito eundem baptizatum erudiendi in fidei elementis, ac in rebus ad salutem necessariis, si parentes deficiant.

6. Ab huiusmodi Patrini munere arceantur excommunicati, vel interdicti; infames, vel notorie flagitiosi; haeretici; non baptizati; Christianae fidei ru-

---

(1) *Sess. 24 de Refor. cap.* 2.

dimenta ignorantes; qui quartum decimum annum nondum expleverint; cuiusvis ordinis utriusque sexus Regulares, sive per se, sive per Procuratores, nec non Clerici saeculares, nisi a Nobis permissionem obtineant.

7. Baptismate peracto, statim describantur ab animarum Rectoribus nomina tum baptizantis, tum baptizati, eiusque parentum, indicando, an legitimi coniuges fuerint, nec ne, ac demum patrinorum cum adnotatione anni, mensis, diei tum nativitatis, tum susceptionis Baptismi. In caeteris Ritualis Romani instructio servetur.

8. Nemini liceat baptizare infideles adultos, antequam ex nostro mandato examinati, ac in Christianae fidei rudimentis satis instructi comperti fuerint.

9. Nullus animarum Rector infantes alienae Parochiae baptizet, nisi aliqua gravi postulante causa, et praemonito infantis Parocho, ut Parochianorum evitetur confusio.

10. Modum rite conferendi Baptisma accurate edoceantur obstetrices.

11. Priusquam Parochi aliquem baptizare aggrediantur, ab iisdem obstetricibus, diligenter perquirant, an domi, ac rite recteque fuerit baptizatus. Quod si post huiusmodi perquisitionem de Baptismatis validitate certissime constat, caeremonias tantum suppleant: si rationabile dubium supersit, Baptisma

sub conditione ministrent ad Ritualis praescriptum.

12. Si expositi infantes cum Schedula eos baptizatos asserente reperientur; nihilominus, ut omnis dubitatio in tanti momenti Sacramento abigatur, Parochi eos conditionali formula baptizent, eisque nomen in Schedula adnotatum imponant: eaedem vero schedulae, nec non signa, quibuscum fuerint reperti, referantur in Baptizatorum librum, qui penes Parochos ipsos diligenter servabitur.

13. Quanquam caput, pectus, et femur ad ablutionem suscipiendam aptiora sint: necessitate tamen urgente, quamlibet vel exiguam corporis partem abluere sufficit. Qui autem sic fuerint abluti, si e mortis faucibus évaserint, conditione adhibita rebaptizentur.

14. Ad viam omnem superstitioni praecludendam, operam dent Parochi, ne quid infantibus ad Baptisma suscipiendum delatis superimponatur; ac ne candelae, sal, sudariola, caeteraque in Baptismatis collatione adhibita ab Ecclesia asportentur; sed ipsi omnia penes se retineant, atque Baptismalem fontem bene clausum custodiant.

15. Baptizandis haud imponantur nomina ab idolis, vel fabulis, vel planetis, ac similibus desumpta; sed potius a Sanctis, vel ab Angelis, ut horum exemplo illi ad virtutes incendantur, ipsorumque sibi comparent tutelam.

16. Ne vero infantes laedantur, aut, quod ma-

gis dolendum esset, pereundi periculo exponantur; neminem lateat, infantes intra anni spatium in lecto excipi non posse sine repagulo. Ex adverso ad quaecumque vitanda scandala, animarumque pericula filios supra quinquennium genitores secum in proprio lecto, aut mares cum foeminis cubare, non permittant.

17. Operculum fontis Baptisimalis ex tabulis sectilibus inter se apte compactis Baptisterii labro situr; sitque clave occlusum, et ferreis fibulis firme affixum, ut nequeat dimoveri.

18. Pulchritudini, quae a mystico hoc balneo in animas promanat, tabernaculi configuretur ornatus, simulacrumque in eo promineat coelestis Agni, qui veniens, ut peccata totius Mundi tolleret, lavacra puri gurgitis attigit, et a Divo Joanne Baptista in Jordane baptizari voluit.

19. Olea Sacra ita argenteis asserventur in vasculis, ut per inscriptiones, aut alia signa primo distingui possint intuitu.

20. Aqua baptismalis in singulos annos praescriptis ritibus, et coeremoniis renovetur, quod et in Sabbato Sancto, et in pervigilio Pentecostes peragendum est.

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

Militia est vita nostra super terram adversus nequissimos spirituales hostes exercenda. Sed praecingit nos virtute ille, qui Deus exercituum est, ac Dominus fortis, et potens in praelio per sacram Chrismatis unctionem. Quod enim operatus est Deus in nobis in Baptismate, a Templo sancto suo confirmat, quod est in Hierusalem, allegorica scilicet eius Civitatis significatione nobis commostrans, pacem aeternam, et coronam temporali, quod in hac vita gerimus, certamine, comparandam. Jure igitur Sacramentum hoc Confirmationis dictum est: per illud enim fit, ut fortitudine roborati Christifideles, et magnificati in timore inimicorum, non ut filii Ephrem, convertantur in die belli, sed longanimi constantia durent usque ad triumphum.

1. Ex hoc discant fideles, Confirmationem, ut Christianae vitae perfectionem adipiscantur, sibi esse necessariam, cum ad rationis usum pervenerint, nullamque habeant legitimam causam illius perceptionem differendi. Hinc quemadmodum salutem suam in discrimen adducunt, qui Confirmationem despiciunt, vel negligunt: sic in huius Sacramenti sanctitatem peccant, qui minus comparati ad illud accedunt.

2. Parochorum igitur munus erit, post indictam sanctam Visitationem, Parochianos suos de Confirmatione habenda certiores facere, Sacramenti huius praestantiam, virtutem, utilitatemque enucleare, ac Confirmandos, qui discretionis annos attigerint, non semel monere, ut si peccatorum cuspide saucii sint, ea prius confiteantur, quo remoto obice, Sacramenti fructum percipiant; nec non alia praeparent, quae Ecclesiae consuetudo praescribit.

3. Eorumdem Parochorum erit Confirmandos ad se, quamprimum arcessere, eosque privatim praedocere, ac diligenter examinare in iis, quae ad Christianam spectant institutionem; nec eos Nobis offerre, nisi Fidei principiis sint sufficienter imbuti: Hinc Sacramentum hoc adeuntes suae idoneitatis fidem ab ipsi Parochis gratis concedendam secum deferant.

4. Monebunt pariter Parochi, huiusmodi Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimere, ideoque sine sacrilegii labe nequaquam iterari posse. Significent ipsi quoque spiritualem cognationem, quae per Sacramentum hoc inter Patrinum, et Confirmatum, eiusque parentes emergit; quaeque matrimonium contrahendum prohibet, contractumque dirimit.

5. Hinc Confirmatorum, eorumque parentum, aeque ac patrinorum, horumque patris nomina, ac patriam, ad Romani Ritualis formam, statim, et di-

ligentur in Confirmatorum libro adnotare haud omittant Parochi.

6. Tum ut Confirmati suae Confirmationis commeminisse possint ad reiterationis periculum evitandum, tum ut debita dispositione instructi sint, nemo ad hoc Sacramentum se conferat, nisi septimum aetatis annum expleverit, exceptis infantibus lethali morbo affectis, qui etsi ad huiusmodi aetatem nondum pervenerint, confirmabuntur.

7. Mares separatim ad Chrismatis susceptionem accedant orantes devote, manibus iunctis, flexisque genibus, absque strepitu, et vaniloquio, neque ab Ecclesia discedant ante Episcopalem benedictionem. Aliquandiu autem in honorem Sacri Chrismatis fasciam in fronte gerant.

8. A patrini munere in Confirmationis Sacramento excludimus eos omnes, quos superiori capite in Baptismate repellendos mandavimus; ac insuper ipsius Confirmationis oleo nondum delibutos; et Confirmandis non natu maiores.

9. Ut honestati consulatur, unusquisque sui sexus conditionem sequatur, ita ut mares a maribus, foeminae a foeminis offerantur, sintque tantum unus, vel una, iuxta Canonicas sanctiones; nec plures eodem die, quam unum, vel duos ad summum, absque nostra licentia, praesentare, valeant. Neminem porro lateat, a patrinis dexteram manum dextero con-

firmandorum humero imponendam. Nam *qui hoc Sacramentum accipit, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus*: ait D. Thomas.

10. Parentibus haud liceat in hoc Sacramento tenere proprios filios, nec marito uxorem, nec uxori maritum. Insuper hoc munere fungi nequeat quivis Regularis, nisi confirmandus esset pariter regularis.

11. Patrinus hic debet esse alius a patrino Baptismatis, nisi necessitas aliter fieri compellat (1).

12. Cumque oderit Deus observantes vanitates supervacue, moneant Parochi puellas, ac matrinas, ne florenter ornatae, sed honesto indutae amictu, hoc Sacramentum adeant.

(1) *De Consecr. dist. IV. can. 100.*

CAPUT IV.

De Sacrosanto Eucharistiae Sacramento.

Salvator noster, ex hoc mundo profecturus ad Patrem, Eucharistiae Sacramentum instituit, in quo memoriam faciens mirabilium suorum, seipsum escam dedit timentibus se. Sanctissimo hoc Sacramento, quod reliquorum confirmatio, finis, ac perfectio est, nihil perfectius fieri, nihil maius cogitari potest, tum propter infinita comitantia illud miracula, quae nisi fides comprehendat, sermo non explicat, tum quia per ipsum bonorum omnium fons, et origo, omnisque sanctitatis auctor nobis datur.

In eo futurae gloriae pignus in sua carne, sanguine, anima, ac divinitate, omne delectamentum, omnisque saporis suavitatem habens comedendum apponitur. Hinc non immerito adistruitur, Christum Dominum in hoc Sacramento divitias amoris sui erga homines veluti effudisse.

1. Tanti igitur Sacramenti excellentiam, ac gratias, virtutesque ab ipso manantes iugiter praedicare gestiant Parochi, et Concionatores. Hinc eius frequentiam inculcent fidelibus. Mentem explicent Tridentini Concilii optantis, in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare, ut ad eos

sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior perveniat. Iidem Toletanae Synodi monitum in memoriam revocent, quod sic se habet. » Pium, et Christianum est, » frequentius, et maxime in maioribus, et annualibus » festis communicare. » Doceant simul Parochi, Sacramentum hoc cultu latriae adorandum, et summa animi veneratione suscipiendum esse. Hinc tum Sacerdotes, tum laici, qui se fortasse gravis culpae, quod absit, conscios sentiant, sine Sacramentali confessione ad coelestem hanc mensam accedere nequaquam audeant, ne iudicium sibi manducent, et bibant.

2. Cum Tabernaculum angustissimae Eucharistiae repositorium sit, maiori, qua fieri potest, magnificentia refulgeat; ac saltem ligneum antica ex parte egregio coelatum opere, atque auro, vel alio decorum ornatu esse debet; nec in altaris planitie situm sit, sed altiori inde gradu assurgat; et ubi fieri potest, eleganti, conopaeo serico, iuxta festorum, et temporum ritum colorato, contegatur.

3. Locus autem, qui Custodia dicitur, ubi proprie corpus Dominicum Pyxide inclusum residet, serico intus panno circumvestiatur cum corporali benedicto, ac mundo inibi strato, eiusque ostiolum sera satis forti, et clave obseratur argentea, vel saltem auro illita, quae de chordula pendeat serica, penes Parochum, vel Ecclesiae Sacristam, dummodo sit Sacerdos, custodienda.

4. In Parochialibus Ecclesiis duae adsint Pyxides interius deauratae, cum palliolis albi coloris; altera maior, et amplior ad Eucharistiam conservandam, et porrigendam in Ecclesia Christi fidelibus; altera minor, et angustior, qua Sacramentum hoc ad infirmos deferatur, et in qua duae, aut quatuor particulae iuxta locorum rationem, et animarum numerum extent.

5. Nil praeter Eucharistiam in custodia, vel tabernaculo asservetur.

6. Particulae consecratae tempore aestivo, et autumnali singulis hebdomadis; hiemali autem, et verno bis in mense renoventur; ita ut consumptis de more veteribus, recentium consecratio fiat.

7. Hostia grandior processionis tantum, aut expositionis gratia consecretur, atque in Pyxide, donec fuerit a Sacerdote in Missae communione sumpta, servetur.

8. Dumtaxat in Parochialibus, et Conventualibus Regularium Ecclesiis sacrosancta Eucharistia retineatur, nec alibi, nisi ex speciali privilegio, et facultate.

9. Ante aram, in qua sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque colluceat, cuius aspectu ad inaccessibile Deitatis ibi latentis lumen adorandum ducamur, et casto ferveamus amore. Qui non paruerit, ad nostrum libitum punietur.

10. Quivis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, ut in generali Concilio Lateranensi IV. (1) definitum, et a Tridentino confirmatum est (2), *omnia sua solus peccata fideliter confiteatur proprio Sacerdoti . . . . suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum . . . alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.* Hoc salutare statutum frequenter explicent Parochi, illudque violantes ad Nos, vel ad nostram Episcopalem Curiam referant.

11. Sacra Paschalis communio, ut ex laudato statuto eruitur, in Parochiali Ecclesia de manu proprii Parochi, aut alterius Sacerdotis ab eo deputati accipienda est.

12. Ne praeceptum eludi contingat, Clerici probatissimae sinceritatis assumantur in custodiendis, et distribuendis schedulis susceptae Eucharistiae fidem facientibus, ita ut nec surripi queant, nec plures accipi ab uno.

13. Sciant Parochi, aegrotos, et in carceribus detentos debere Paschatis tempore divini huius epuli participes fieri.

14. Cum vero sanctum canibus tradere non li-

(1) *Cap. XXI. de Poenit., et Remiss.*

(2) *Sess. XIV. cap. V.*

ceat; modestis quidem, sed modis omnibus per animarum Curatores arcendi sunt ab Eucharistica Mensa publici concubinarii, meretrices, foeneratores, blasphemi, coniuges absque legitima causa cohabitare nolentes, et reconciliari renuentes, inimicitias palam colentes, aliique id genus facinorosi, nisi eos ad bonam frugem rediisse constiterit.

15. Huiusmodi monitum ad reformandos fidelium mores maximopere conducens pari studio, animique constantia ab omnibus Confessariis servetur; ut sceleris gravitatem, et consuetudinis pravitatem vel inde poenitentes agnoscant, quod illis una, eademque sana doctrina, una mens fit, indignos a Mensa Dominica arcendi. Quantum igitur fieri poterit, reiectum ab alio Confessario, vel ad eumdem remittant, vel non nisi bene probatum, et dispositum ad dictam Mensam admittant.

16. Vetamus, ad hoc immortale Convivium pueros prima vice accumbere sine proprii Parochi facultate, pro qua tamen requisitus poterit prudentis Confessarii iudicio acquiescere. Ipsos autem pueros edocere opus est huius coelestis alimoniae praestantiam, et virtutem, nec non modum, quo sumenda sit.

17. In deferendo ad infirmos sanctissimo Viatico Ritualis Romani praescriptum adamussim servetur. Parochorum autem cura, iuxta Nicaeni Concilii canonem, in hoc potissimum versetur, *ut si forte*

quis recedit ex corpore, necessario vitae viatico non defraudetur.

18. Neminem ignorare arbitramur, praedivitem indulgentiarum thesaurum a Sancta Apostolica Sede illis omnibus concessum, qui Sacramentum hoc ad infirmos delatum pie, religioseque comitantur. Hinc fideles hortamur, atque in visceribus Misericordiae Dei nostri obtestamur, ut in id summo incumbant studio. Quod in primis ad illos spectat, qui Sodalitati SS. Sacramenti nomen dedere.

19. Ut vero scandalis pro virili occurramus, quoties Viaticum noctu deferri contingat, mulieres illud associare inhibemus.

20. Utque laus, et iubilatio Eucharistico huic Sacramento debita, flagransque erga ipsum devotio iugiter in cordibus fidelium augeatur, retineri mandamus laudabiles consuetudines serotinae visitationis cum precibus, quae in Dioecesi adhibentur, nec non sacrae Processionis cum Sanctissimo Sacramento, quae plerumque tertia qualibet mensis Dominica in Ecclesiae ambitu fieri solent.

21. Exceptis functionibus ordinariis a rubrica praescriptis, Sacramentum hoc in quibuslibet Ecclesiis etiam Regularium sine nostra, vel nostri Vicarii Generalis expressa licentia, publicae adorationi exponi prohibemus.

CAPUT V.

De Sacramento Poenitentiae.

Quoniam Deus, qui dives est in misericordia, cognovit figmentum nostrum; et vidit, ex nativa concupiscentia, et irascibili pronos nos esse ad malum; non solum per lavacrum regenerationis e naufragio originalis peccati in gratiam, et portum salutis nos contulit: verum etiam vitae remedium contulit illis, qui baptisimali excedentes innocentia, in peccati servitutem, et daemonis potestatem sese tradidissent. Huiusmodi est Poenitentiae Sacramentum, quod secunda post naufragium tabula a Patribus appellatur. Hoc non modo iacturas reparat, sed praeterea reddit annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo. Oh vere summi Dei paterna dignatio!

1. In hoc igitur remedio quaerendo tardi haud sint quicumque peccando animae suae mortem consciverunt: peccatum enim, quod statim non deletur, pondere suo ad aliud trahit.

2. Cum autem eiusmodi remedium animae sanitatem non restituat, nisi, ut oportet, adhibeatur; Parochi, et Concionatores toti sint in edocendo Christifideles, quomodo Poenitentiae Sacramento uti debeant, ut ipsis prosit.

3. Cumque divina haec a peccatis absolvendi

potestas ad modum iudicii a Christo Domino instituta sit; nullus Sacerdos eam exerceat, nisi vel ordinaria iurisdictione, ex Parochiali beneficio emergente, vel delegata a nobis, aut a nostro Vicario Generali potiatur. Hinc nullius erunt roboris absolutiones latae sine nostra approbatione, et expressa facultate, quae (nisi aliter Nobis expedire videbitur), in scriptis habenda est. Qui vero absque huiusmodi facultate confessiones temerario casu excipiet, excommunicationem a Sacrarum Congregationum Decretis inflictam, si Regularis sit, ipso facto incurret; Saecularis autem Sacerdos, praeter excommunicationem, poenas pendet ad nostrum arbitrium infligendas. Huiusmodi prohibitio locum habet, etiamsi de peccatis venialibus agatur, iuxta Decretum ab Innocentio XI. die XII. Feb. an. 1679 latum.

4. Qui facultates in scriptis, vel oretenus a Nobis obtinuerint, earum naturam perpendant, et si definito quodam temporis spatio ipsae coarctentur, eo transacto, prorogationem sibi comparent. Qui autem prima vice huiusmodi ministerium suscepturi sunt, ob quamdam decentiam proprium Parochum de facultate obtenta certiorem faciant.

5. Qui ab animarum cura pridem habita quacumque ex causa destiterint, nequeant sub iisdem poenis, nova a Nobis non obtenta facultate, poenitentiae Sacramentum ministrare.

6. Excipitur mortis articulus, in quo quilibet simplex Sacerdos, quamvis excommunicatus, suspensus, interdictus, sive etiam irregularis, potest a quibuscumque peccatis, et censuris nobis etiam, et Summo Pontifici reservatis, quoslibet Poenitentes absolvere, eis tamen quoad censuras onus iniungentes sistendi se, si periculum effugerint, suis Superioribus, iuxta Sacrorum Canonum statuta.

7. Sacerdos, qui necessitate urgente alicui absolutionem Sacramentalem impertitus fuerit, quoties proprius infirmi Parochus deerit, penes infirmum ipsum absolutionis testimonium relinquet, vel saltem Parochum certiorem faciat, ut caeteris Sacramentis muniri ille quam citius valeat.

8. Regulares, vel alii Sacerdotes ignoti ad examen admitti ne praesumant, nisi recentibus suorum Superiorum litteris commendentur, quae de ipsorum vita, moribus, aliisque requisitis testimonia perhibeant.

9. Quoniam Sacerdotes in Poenitentiae Sacramento claves Regni Coelorum tractant, illud ministrent puro corde, et fide non ficta. Hinc non avaritia, aut inani ambitione, sed animas Deo lucrifaciendi desiderio ducantur. Quod omnibus praecepit Paulus, sibi peculiater iniunctum putent Confessarii: » rogamus » autem vos, fratres, corripite inquietos, consola» mini pusillanimos; suscipite infirmos; patientes esto-

» te ad omnes ». Nihil a Poenitentibus intuitu Confessionis efflagitent, aut accipiant, ne Sacramentalis quidem satisfactionis nomine, aut pro celebratione Missarum; nec aliquid iniungant, quod in ipsorum, vel propriae Ecclesiae utilitatem cedat.

10. Restitutionibus, ad quas Poenitentes tenentur, et parati sunt facere, se intermiscere non concupiscant Confessarii. Quod si aliter restitutio occulte fieri nequeat, quam per ipsos Confessarios, vel sic poenitentes velint; tunc id renuere haud debent. Hoc autem adeo caute praestent, ut ab eo, cui restituerint, chirographum accipiant, poenitentibus protinus reddendum. Si autem Confessarii depositum sibi detinuerint, aut ultra triduum reddere dolose distulerint; ipso facto suspensi maneant. Restitutiones vero incertis faciendas, ac propterea pauperibus, Ecclesiae, vel in alios pios usus erogandas, non sibimet, nec suae Ecclesiae, seu Conventui applicari postulent Confessarii, sed poenitentium arbitrio omnino relinquant.

11. In audiendis Confessionibus tanta gravitate, et modestia se gerant, ut neque per nimiam admirationem, neque per immoderatam commiserationem, et confidentiam poenitentibus, vel timorem incutiant, vel scandali praebeant occasionem. Idcirco dum poenitentis statum, et peccatorum circumstantias Confessarii inquirunt, prudenti utantur dexteritate; prorsus-

que ab iis abstineant interrogationibus, quae ad Confessionis validitatem non sunt scitu necessaria. Maxime autem caveant, ne inconsulta diligentia, ac nimia explorandi subtilitate, pusillorum animae detrimentum patiantur, patrandorumque scelerum novos addiscant modos, et ad desideria excitentur faciendi, quod iam ignorabant. In adolescentibus praesertim, et puellis de rebus turpibus interrogandis honestissime agant, ne ad peiora potius facem praeferant, et in tentationem inducant, quos a malo liberare tenentur. Cognitionis item personarum curiositatem omnino aufugiant, quin et poenitentes ab illis nominatim prodendis absterreant. Hoc enim poenitentiae tribunal, ubi misericordia, et veritas praecedunt faciem Dei, eo fine nonnulli invadunt, ut aliorum infamiis fidem adstruant, et os peccatoris, et os dolosi ad aliorum magis, quam ad sui accusationem aperiatur.

12. Mulierum Confessiones non audiantur, nisi in Ecclesiis publicis, et in sedibus Confessionalibus conspicuis in locis collocatis, et in sanctis Visitationibus non reprobatis, nec interdictis, atque in iis sint crates et ferreae laminae punctatim perforatae, poenitentes a Confessariis seiungentes. In Ecclesiis vero ruralibus, ubi non adsunt huiusmodi sedes, non apponantur absque nostra licentia. Ubi vero reperiuntur, in eis non excipiantur Confessiones, nisi diebus

solemnibus, occasione concursus populi. Eaedem mulieres non audiantur ante solis ortum, nec post eius occasum; aegrotae autem non nisi aperto cubiculi ostio, ita ut Sacerdos possit ab aliis conspici, non vero audiri.

13. Medici, qui infirmos in lecto iacentes, et periculoso morbo laborantes inviserint, admoneant eos, ut Sacramentali Confessione in primis a peccatorum aegritudine animam curent; secus, post tertiam diem, in illorum visitatione, et cura non amplius perseverent. Quod si spiritualis propriae, et eorundem infirmorum salutis immemores Medici in hoc aeternitatis negotio deliquerint, praeter gravem, qua alligabuntur, culpam, poenas etiam in constitutione Pii V. latas incurrent, et in casum a Nobis reservatum incident.

14. Caveant Confessarii etiam Regulares, et Parochi, ne infirmorum animas circumveniant, aut importunis precibus et cohortationibus lacessant, ut sibi, vel suis, aut suae Religionis Ecclesiis legata relinquant; sed de hac re nullum prorsus verbum cum ipsis proferant: solum autem hoc curent, dummodo necessarium videatur, ut ad suffragia pro animabus suis praeordinanda eos inducant.

15. Nemini liceat infirmos, praesertim in vita periclitantes, fraudare desiderio habendi, quemcumque voluerint, Confessarium.

16. In diebus festis mulierum Confessiones non excipiantur, nisi prius viris factum fuerit satis.

17. Confessarii, quolibet posthabito praetextu, haud patiantur, mulieres eorum circumcursare domos: nec illas impediant, quominus alios adeant Confessarios: quin imo ipsas saltem bis in anno ad id adigant, et praefracte renuentes amplius non audiant.

18. Ne vero quod ad salutem est divinitus institutum, hominum improbitate in perniciem convertatur; Sacerdotes cum ad Confessiones audiendas approbantur, tantum munus non suscipiant, nisi Constitutiones Gregorii XV. *Universi dominici gregis*, et Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae*, contra sollicitantes perlegerint, quas ad unguem servare studeant.

19. Exhorrescant itaque Confessarii in actu Confessionis, sive ante, vel post immediate personas quascumque ad inhonesta provocare, et gravissimas poenas in praefatis Constitutionibus contentas sedulo perpendant. Sibi persuadeant, personas sic sollicitatas, nisi prius denunciaverint, minime absolvendas esse. Et licet Confessarius Poenitentem non oretenus, sed tantummodo schedulam, vel chartam postea legendam eidem praebendo, ad turpia provocaverit; nihilominus poenitens huiusmodi Confessarium denunciare tenetur.

20. Cumque perdat erubescentiae virtutem Sacra-

mentalis Confessio, quoties apud criminis socium, seu complicem poenitens peccata deponit; idcirco declaramus, Confessarios personas eas, cum quibus quomodolibet fuerint inhoneste versati, ab huiusmodi crimine sacramentaliter absolvere nequaquam posse. Quod si id Regulares ausi fuerint ipso facto ab audiendis Confessionibus se suspensos agnoscant. Si autem Parochi, aut alii Confessarii Saeculares in tam foedum facinus (quod nefas est cogitare), inciderint; latae sententiae Excommunicationem Nobis reservatam incurrant. Nobis etiam eorum Confessariorum absolutionem reservamus, qui licet non immediate ante, vel post Confessionem, verum occasione ex ipsa Confessione arrepta sibi confitentes personas ad impudica sollicitare non erubuerint.

21. Arctissimum Sacramentale Sigillum, Confessarii religiosissime custodiant, ita ut nec directe, nec indirecte sub quovis vel gravissimae necessitatis praetextu ullum instituant sermonem, tum in actu iudicii, tum temporis progressu de auditis in Confessione. Quin etiamsi loquendi facultatem extra Confessionem poenitens ultro concesserit, prudenter taceant, eaque minime utantur, nisi maximi momenti causa urgeat, et idem poenitens expressa, atque iterata interpellatione instanter poposcerit. Haec, quae IV. Lateranense Concilium pronunciavit, ob oculos habeant. » Quoniam qui peccatum in Poenitentiali iudicio sibi

» detectum praesumpserit revelare, non solum a Sa-
» cerdotali Officio deponendum decernimus, verum
» etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in ar-
» ctum Monasterium detrudendum (1).

22. Cunctos tam Saeculares, quam Regulares Confessarios monitos volumus, datam eis ad fidelium utriusque sexus Confessiones excipiendas facultatem non extendi ad adoloscentulas in Orphanotrophiis degentes.

MANTISSA

De Casibus Reservatis.

Quemadmodum graviores morbi peritioribus Medicis committi, et maioris momenti causae ad superiores Judices deferri solent, ita quaedam atrociora crimina, docente perantiqua Ecclesiae disciplina, Divina auctoritate, Conciliorum statutis, Sanctorumque Patrum testimonio, usuque probata, summorum tantummodo Sacerdotum iudicio reservantur. Quod eo consilio fit, ut difficultate impetrandae veniae effroenatus compescatur scelerum cursus, quo praeceps in aeternam mortem fertur humana cupiditas. Quocirca

(1) *Can. 21., et cap. 12. de Poenit., et Remiss.*

casus a Nobis in hac Dioecesi iam reservatos confirmamus, quos sequens complectitur synopsis.

CASUS RESERVATI

Quibus adnexa est excommunicatio.

I. Omnes utriusque sexus personae magias, veneficia, maleficia, sortilegia, divinationes, et cuiuscumque superstitionis opera scienter perpetrantes.

II. Falsum testimonium deponentes, nec non falsis testibus, vel instrumentis, vel scripturis in alicuius damnum utentes. Item falsificantes apocbas syngraphas, vulgo *fedi di credito*, *e notate in fede.* Judices, Actuarii, Notarii, Scribae non sinceram dolo capientes informationem, vel non integra testium dicta describentes.

III. Constituentes, aut consulentes Ordinandorum patrimonia falsa, ficta, fiduciaria, aut quovis modo fraudulenta, aut in his quomodolibet concurrentes, sive cooperantes.

IV. Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quae tunc temporis distribui solent in Cathedralibus, vel in Parochiis fidem facientes de peracta Communione, nec non illi, qui easdem non communicantibus quomodo-

cumque commodant in fraudem praecepti.

V. Homicidium voluntarium, patrantes, et abortum foetus animati, secuto effectu, procurantes.

VI. Confessarii omnes ad turpia personam quamlibet ex sibi confitentibus in casibus expressis sollicitantes.

VII. Sponsi, et Sponsae post contracta Sponsalia, et ante matrimonium legitime celebratum carnalem inter se copulam habentes: nec non parentes, consaguinei, et affines omnes, ac singuli eamdem carnalem copulam, vel sponsorum cohabitationem, et pernoctationem permittentes.

CASUS RESERVATI

Sine Excommunicatione.

I. Blasphemia in Deum, vel Beatam Virginem ex prava consuetudine coram quatuor vel pluribus prolata.

II. Bestialitas, et sodomia activa cum quovis sexu.

III. Stuprantes Virginem, aut viduam vi, vel metu, vel ficta matrimonii promissione.

IV. Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies a prima visitatione non curaverint, ut iidem infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, secundum constitutiones B. Pii V., et Innoc. XI.

V. Parentes, aliique, qui filios, coeterosque suae curae commissos, neque per se, neque per alios instruunt in fidei rudimentis, nec satagunt, ut ad Christianam doctrinam addiscendam, diebus satem festis in Ecclesiam conveniant.

VI. Exercentes, aut mandantes opera servilia absque necessitate, et Superiorum permissu in diebus festis.

VII. Incendiarii, ad idque consilium, vel auxilium scienter tribuentes.

VIII. Publici Concubinarii.

Quilibet Confessarius descriptos casus reservatos attente perlegat, ac memoriae mandare satagat, ut ab iis absolvendis prorsus abstineat. Qui autem absque nostra facultate, et extra mortis articulum id attentaverit, amplius non audeat excipere fidelium Confessiones, nisi novam a Nobis obtinuerit facultatem. Quod si cui in posterum a Nobis copia fiat absolvendi generatim ab omnibus censuris, et casibus recensitis; volumus, et declaramus, ei specialem facultatem absolvendi a primo, secundo, et quinto primae tabellae nunquam intelligi concessam, nisi expressa de iis mentio iniiciatur.

CAPUT VI.

De Sacramento Extremae Unctionis.

In exitu caliginosi huius saeculi Deus ex alto mysticae lampadi, quam ardentem manibus nostris pia Mater Ecclesia commendavit, alimenta ministrat, oleum nimirum a Sacro Antistite consecratum. Hoc opem lucidam praebet adversus Principem tenebrarum, fideles in extremo agone valide oppugnantem, et miserationum Domini nunquam moritura luce animas eorum illustrat, ut tanquam Gedeonis milites, fracto mortalitatis luteo vase lucernas micantes ostentent, et sumpto cum lampadibus oleo, virginum sponso obviam eant. Ingentes itaque gratias Christo Domino agemus, qui Sacramentum Extremae Unctionis instituit, ut consuleret hominibus corporis exuvias dimissuris.

1. Ex his prono alveo fluit, cavendum esse Parochis sub poenis a Sacris Canonibus inflictis, ne ipsorum incuria quisquam tantis bonis privatus ex hac vita discedat. Itaque graviter aegrotantes, praemissis Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis, ad Extremam Unctionem recipiendam hortentur, maxime cum ea non animae solum, sed corporis etiam interdum, quoties scilicet fuerit expediens, salutem conferat. Multiplicem proinde utilitatem, et virtutem huiusce

Sacramenti clare, et accurate explicent, moneantque de animi praeparatione ad illud necessaria, quippe quod, cum vivorum Sacramentum sit, in gratia suscipiendum est.

2. Infirmi, quoad fieri potest, sacro liniantur olio, dum adhuc animi compotes sunt, ut preces suas Ecclesiae orationibus possint adiicere, et per pios motus uberiores recipere effectus. Quod si sensibus destituti sint, etiam inungantur, dummodo constet, eos adhuc vita vivere, et Sacramentum hoc petiisse, vel prudenter iudicetur illud, si mente valuissent, petituros fuisse.

3. Si deferendum sit sacrosanctum Viaticum ad aliquem infirmum, cui ex morbi gravitate mors, vel certo imminens, vel probabiliter superventura coniiciatur, ducat etiam secus Parochus oleum sanctum, quo post Communionem infirmum ipsum, sensibus adhuc vigentem, immediate perungat.

4. Juxta Florentinae Synodi sanctionem, (1) non nisi infirmo de cuius morte timetur, Sacramentum hoc conferatur; adeoque si nullum urgeat periculum, Parochi opportunum tempus ab Ecclesia praescriptum praestolentur.

5. Morti damnatis, pugnam ingredientibus, procellosam navigationem subituris, perpetuo furiosis, et

(1) *In decr. Eug. IV.*

amentibus, mulieribus in actuali partu laborantibus, pueris rationis usu carentibus, adultis in impoenitentia, aut in excommunicatione decedentibus, nunquam Extrema Unctio ministretur. Tribuatur autem iis, qui saltem intermisso rationis usu pollent; quique etsi nondum communicent, sunt tamen prudentum iudicio lethalis culpae capaces.

6. Sacramentum hoc, cum superpelliceo, et stola, caeterisque servatis caeremoniis, quae in Romano Rituali praescribuntur, a Parocho dumtaxat, vel ab alio Sacerdote, consentiente Parocho, administretur; excepto tamen necessitatis casu, in quo quilibet Sacerdos, nullatenus autem Diaconus, vel Subdiaconus, praesumpto Parochi consensu, illud administrare poterit.

7. Huiusce Sacramenti oleum argenteo in vase asservetur, in quo haec sit inscriptio: *Oleum Infirmorum*, quodque in loco decenter intrinsecus et extrinsecus ornato, prope Altare Maius a cornu Evangelii custodiatur, clavisque semper a Parocho detineatur.

8. Sacri olei vas intra thecam, seu bursam Sericam violacei coloris deferatur ad infirmum. Theca autem ipsa longiores chordulas habeat, ut commode possit a deferentis collo pendere, si quando opus sit cum Eucharistia ob imminens mortis periculum deferri.

9. Dum Sacramentum hoc administrant, caveant Parochi, ne gossipium, cuius tot esse debent globuli, quot partes in infirmi corpore delibutae, sunt abster-

gendae, Unctione peracta in eiusdem infirmi domo relinquatur; sed illud ad Ecclesiam secum reportent statim comburendum, redactumque in cineres Sacrario immittendum.

10. Sacrum oleum quotannis renovetur, vetere cum suo gossipio conflagrato, eiusque cinere in dictum Sacrarium iniecto: idque statim praestetur postquam novum fuerit consecratum.

11. Ab eo, cui Oleorum distributio in nostra Cathedrali Ecclesia committitur, quotannis accurate describantur in libro accipientium nomina, cum die, mense, et anno; eademque olea Parochis tantummodo, vel Sacerdotibus eorum nomine missis, pro Ecclesiis, in quibus servari debent, tradantur; Regularibus autem Sacerdotibus pro suae dumtaxat Communitatis infirmorum usu.

12. Generatim loquendo, nec ab alienis Episcopis accipiantur, nec alienarum Dioecesum personis tradantur, sive infirmorum, sive alia sacra olea (1): imo alterius Paroeciae Sacerdotibus Parochos illa commodare, vel impertiri prohibemus. Hinc Sacrorum Canonum vistigia sectantes, praecipimus iis, quorum interest, ut ante diem Paschatis sacra olea a nostra Cathedrali accipiant; quod hic et statutum, et moribus iam receptum est.

(1) *Can. Presbyteri dist. 95.*

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

Ut omnia Salutis Mysteria redempto humano generi praesto essent, Salvator Noster Christus Dominus, instituta per Ordinis Sacramentum Ecclesiastica Hierarchia, per quam electus sanctificatur populus, cuncta semper, et ubique prompta, atque parata reliquit. Hinc Ecclesia charitate ordinata Ministros habet alios aliis eminentiores, charactere, ac potestate diversos, qui iniuncta sibi munia obeant. Ne autem admittendo in Sanctuarium Dei sine ullo delectu quodlibet hominum genus, nomina tantum gerantur, non officia, sequentibus cautionibus in Ordinibus conferendis procedetur.

1. Qui altaribus mancipari exoptant, iuxta Benedicti XIV mentem (1), in nostro Dioecesano Seminario degere debent; nec nisi paucissimis ex iis, gravi existente causa, extra Seminarium habitum clericalem deferendi copia a nobis fiet. Prima Tonsura, et minoribus Ordinibus initiandi, expleto triennali tyrocinii tempore, probabile iudicium prae se ferant, se non coacte, nec externo et temporali fine, humanoque consilio ductos, sed sponte, et Spiritu Sancto

(1) *De Syn. Dioec. libr. II. cap.* 2.

impellente, Ecclesiasticae militiae nomen dare velle, ut iugi Ecclesiae, cui adscribi debent, servitio addicti, maiorem Deo cultum valeant exhibere. Hinc pio, doctoque Sacerdoti, praesertim spiritualium exercitiorum tempore, vocationem suam examinandam committant.

2. Ad Ordines promovendi attestationes Parochorum de vita, et moribus; de Ecclesiae, cui adscripti sunt, assiduo, ac laudabili servitio; de Sacramentorum frequentia; de spiritualibus exercitiis per decem dies peractis, aeque ac de aliis Canonicis requisitis, gratis confectas nostrae Curiae exhibeant, quindecim saltem diebus ante Ordinationem a Nobis propositam, praeviis quoque supplici libello, et denunciationibus in tribus diebus festis continuis, sed non immediatis, aliisque de iure necessariis.

3. Eos autem, ad quos spectat huiusmodi attestationes conficere, enixe in Domino monemus, ut in re tanti momenti, seclusis quibuscumque humanis considerationibus, et personarum acceptionibus, veritati tantummodo inserviant, ne mendacium adstruentes Spiritui Sancto mentiantur, aeternisque a Deo poenis, et temporalibus a nobis plectantur.

4. Si a denunciationibus emissis pro Ordinum susceptione bimestre elapsum fuerit; illae non amplius valeant, sed aliae de novo emittantur.

5. Si extra Dioecesim ex nostra speciali licentia

moram faciant Ordinandi, testimoniales litteras ad formam Bullae Innoc. XII. *Speculatores* a loci Ordinario dandas exhibeant.

6. De scientia quoque ipsis necessaria solliciti sint, qui divinis ministeriis deputari cupiunt. Hinc ad Clericalem Tonsuram, et ad minores Ordines non admittentur, nisi ii, quos iuxta Tridentini Concilii sanctiones (1) litterarum studiis operam sic dare constiterit, ut quasi in via ad reliquos Ordines suscipiendos versari videantur. Qui autem propius ad sacratissima mysteria accessuri sunt, ea volumus scientia polleant, ut Ecclesiae Sacramenta digne ministrare, Christifideles sanam doctrinam edocere, et eos in via salutis non minus verbis, quam exemplo valeant anteire. Huiusmodi doctrinae specimen coram Nobis, et electis Examinatoribus Ordinandi dabunt, iuxta album scientiarum pro unoquoque ordine suscipiendo in Appendice notandum.

7. Promovendi ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, nisi alio Canonico titulo potiantur, patrimonium habeant, cuius reditus nec minores sint ducatis quinquaginta, nec ducatis octoginta maiores, iuxta pacta inter imm. mem. Pontificem Pium VII; et Regem nostrum Ferdinandum I. quem Deus diutissime sospitet, ultimo conventa.

(1) *Sess. 23. de Reform. cap. 4. et 6.*

8. Licet vigentes in hoc Regno leges, quoad fieri possit, viam omnem in Patrimonii constitutione fraudibus praecluserint; attamen ad tutius agendum volumus, ut Ordinandus, praeter testes in nostra Curia examinandos, patrimonium ipsum verum esse, ac reale iureiurando affirmet. Juret pariter, se illud nec in totum, nec in partem alienaturum, cessurum, aut pro eo aliud, absque nostra licentia, subrogaturum. Quod si quis id attentaverit, poenis a iure statutis afficietur.

9. Meminerint Superiores Regularium, quod daturi litteras dimissoriales subditis suis etiam Regularibus, qui velint ad Ordines promoveri, illas dirigere debent ad Episcopum Dioecesanum, nempe illius Monasterii, seu Conventus, in cuius familia Ordinandi degunt, iuxta decretum iussu Clementis VIII. a Sacra Congregatione Concilii sub die 15. Martii 1599. editum. Si vero Episcopus Dioecesanus abfuerit, aut non sit Ordinationem habiturus; tunc Praelati Regulares suos subditos ad quemcumque Antistitem dimittere valent, dummodo id non in fraudem efficiant.

10. Sciant porro Regulares, qui ad Ordines ascendere cupiunt, examen sibi esse subeundum coram Episcopo Ordinante, non solum iuxta eiusdem Clementis VIII. sanctionem, verum etiam iuxta Regale Rescriptum diei 15. Martii 1820. quod peculiariter Mendicantes afficit.

CAPUT VIII

De Sacramento Matrimonii.

In dubium revocari non potest, quin Matrimonium origine sua divinum sit. Deus enim condito primo humanae sobolis Parente, similique ei adiutorio adiecto, insolubili inter se vinculo, toto scilicet ipsorum vitae curriculo, eos coniunxit. Sui igitur conditione sacrum est, non profanum, non civile, quoniam Deus illud, non homo instituit. Quin imo in primaevo humani generis connubio, etsi sub unica naturalis contractus ratione, se Deus exhibuit Ministrum, et Sacerdotem, suam primis Coniugibus benedictionem impertiendo. Huiusmodi contractus ad Sacramenti dignitatem a Christo Domino evectus fuit; cumque coniunctionem Christi cum Ecclesia sponsa sua significet, ab Apostolo Paulo Sacramentum magnum nuncupatur.

1. Ut fideles huiusce Sacramenti sanctitatem agnoscant, et sartam tectam habeant, Parochi non solum in publicis Catechismis, sed etiam, cum sponsi ad illud contrahendum accedunt, edoceant eos, quod circa coniugalem fidem, prolemque religiose educandam versatur; nec non qua pietate, ac reverentia illud suscipere debeant, ut inde uberes gratiae fructus percipere valeant. Moneant insuper, ipsius Sacramenti vinculum insolubile esse, et thori, ac habitationis se-

parationem non nisi ex gravissimis, et legitime probatis causis Ecclesiae, non proprio iudicio per sacros Canones permitti.

2. Ut fraudes, et impedimenta praecaveantur, ac caeteris malis, quae sequi possunt, occurratur, ad Tridentini Concilii praescriptum (1) trinae a proprio contrahentium Parocho denunciationes in tribus diebus festis continuis, non tamen sibi immediate succedentibus, in Ecclesia inter Missarum sollemnia publice praemittantur, salva dispensatione quoad numerum earumdem denunciationum, quae, eodem monente Concilio, a nobis, vel a nostro Vicario Generali, legitima prius cognita causa, concedenda est.

3. In qualibet denunciatione populus moneatur de obligatione patefaciendi canonicum, si quod cognitum sit, impedimentum.

4. Ubi impedimentum, sive impediens, sive dirimens suboriatur, ad Canonum normam Matrimonium non contrahatur, nisi obtenta prius dispensatione debitae executioni demandanda. Quod si antequam omnes emissae fuerint denunciationes, impedimentum etiam dubium deferatur, ad alias, quae supersunt, non procedetur, et interim de huiusmodi impedimento certior nostra Curia fiet.

5. Ne autem ob temporis brevitatem commodi-

(1) *Sess. 24. cap. 2.*

tas ad impedimenta revelanda subtrahatur, volumus, ut non citius, quam die ultimam publicationem sequente, matrimonium celebretur.

8. Si contrahentes diversas Paroecias incolunt, in utrisque proclamationes fiant. Quod si quis eorum in aliqua Paroecia quatuor incolatus menses minime expleverit, tunc proclamationes in ea Paroecia, in qua antea degebat, habeantur, una tantum habita in Paroecia novi incolatus, ut nullus dubitationi locus supersit.

9. At ne ex trasmigrationibus, quas ex uno in alium locum passim fieri contingit, perturbatio aliqua suboriatur; declaramus, proprium sponsi, aut sponsae Parochum eum esse habendum, in cuius Paroecia, vel maxima anni parte commorati fuerint, vel in eam se contulisse animo semper, aut saltem per annum integrum inhabitandi, ex certis adiunctis dignoscatur. Numquam praefatae proclamationes a Parochis inchoentur, nisi prius ustriusque sponsi voluntate sedulo explorata. Ipsis autem Parochis tam urbanis, quam Dioecesanis prohibemus illorum vel voluntatem explorare, vel sponsalibus interesse, quorum alter, aut uterque extranei sint ab hac nostra Dioecesi, nisi prius a Nobis, vel a nostro Vicario Generali licentia concessa sit.

10. Ut impedimentum affinitatis ex copula illicita, si adsit, opportuno tempore detegi possit, antequam

procedatur ad proclamationes; moniantur sponsi, ut suam faciant exhomologesim, cui voluerint Confessario. Huius enim erit, si quid detexerit, illis consulere, quod expedire videbit, ut nempe vel a matrimonio invalide contrahendo aliquo praetextu desistant, vel necessariam Apostolicam dispensationem impetrent.

11. Quod vero, sicut ab ipsis Apostolicis temporibus ad Polycarpum scribebat Sanctus Martyr Ignatius *decet, ut sponsi, et sponsae de sententia Episcopi coniugium faciant, et non secundum cupiditatem* (1); cumque aliis Canonicis sanctionibus exploratissimum sit, ad Episcopos spectare probationes admittere, quibus constet de statu libero sponsorum: licentiamque impertiri, ut Parochi matrimoniis fidelium eorum Dioecesis assistant; Regiis autem nuperrimis rescriptis cum iniungatur Episcopis, ut ea servanda curent, quae a Sacris canonibus quoad matrimonium praecipiuntur etiam ad vitanda scandala, et matrimoniorum nullitates; idcirco sine licentia nostra, vel nostri Vicarii Generalis, et sine debita probatione status liberi in nostra Curia, vel coram aliis pro ratione locorum, et temporum a nobis deputandis, Parochi matrimoniis haud intersint; nec litteras testimoniales status liberi alicui relaxent, iuxta generalem

(1) *Epist. ad Polycarp. cap. 5.*

disciplinam in hac quoque Dioecesi servatatam (1).

12. Atque ut fraudes quaecumque in probatione status liberi contrahentium pro virili avertantur; testes probatae fidei, et si fieri potest, cogniti adhibeantur, iique sollerter examinentur ad formam Instructionis Sanctae Romanae universalis Inquisitionis die 21. Augusti 1670. editae; maxime si contrahentes certis non usi fuerint laribus.

13. Monendum heic ducimus cum Benedicto XIV. (2), non semel fuisse decretum, non esse a Parochis matrimonium proclamandum, nisi antea sponsos repererint in Christianae Religionis rudimentis sufficienter instructos. Quod quidem iampridem decretum fuerat a Clemente XI., iterumque ab ipso Benedicto XIV. in Encyclica ad universos Episcopos (3), et nos servatum volumus a Parochis, cujus rei fidem facere, et ad nostram Curiam transmittere teneantur. Prae oculis tamen habeant Parochi, quod idem Pontifex subdit, nimirum. » Si detur homo hebetis ingenii, et » exilis memoriae, ut haec non possit retinere, non » esse perpetuo arcendum a matrimonio, quod est » institutum in officium naturae, et propterea nemini » sine propria culpa denegandum; sed curabit Paro-

(1) *Caus. 33. q. 1. Can. 4. Conc. Agath. can. 25 Trid. Sess. 24. de Res. Matr. Cap. 1. et 71.*

(2) *De Syn. Dioc. lib. VIII. cap. 4.*

(3) *Constit. XII.* Et si minime 7. *Febr.* 1741.

*

» chus, ut qui eo memoriae defectu laborat, fre-
» quenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab
» eius mente penitus elabantur (1).

14. Frequentia inter sponsos colloquia ante matrimonii celebrationem penitus eliminentur, ne ipsi certis peccandi periculis expositi, initia contaminent sacrosancti matrimonii, cuius fausta auspicia a Dei gratia impetranda sunt. Eiusmodi enim nuptiae scelerum turpitudine commaculatae origo plerumque miseriarum omnium, quibus familiae afflictantur, et praesertim infelicis natorum exitus, esse consueverunt.

15. Praemissis solemnitatibus, ad matrimonii celebrationem in faciem Ecclesiae procedatur, ubi Parochus per verba de praesenti, et servata forma a Tridentino, et a Rituali Romano praescripta sponsos coram duobus, vel tribus testibus coniungat; idque in libro matrimoniorum iuxta formam in eodem Rituali contentam adnotare haud omittet.

16. Matrimonia non nisi in Parochiali Ecclesia, ac diurnis et matutinis horis celebrari volumus, quod si necessitas, vel post meridiem, vel domi illa celebranda aliquando suaserit; id Nobis, vel nostro Vicario Generali inconsultis, nequaquam fiat; nec nisi coram sacra imagine, et debita honestate, ac reverentia.

(1) *De Syn. Dioec. cit. loc.*

17. Juxta Ecclesiae monitum, sponsi benedicantur in Missa. At si uterque, vel alteruter sponsorum in aliis nuptiis acceperit hanc in Missa benedictionem, noverint Parochi ipsam iterari non posse.

18. Matrimonia per Procuratores, cum contrahentes in hac Dioecesi commorantur, non celebrentur, nisi nobis, vel nostro Vicario Generali annuentibus.

19. Non minus a celebrandis, quam proclamandis coniugiis, ab adventu Domini usque ad Ephiphaniam, et a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschatis, Parochi abstineant absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, qua tamen ob gravem aliquam causam concessa, absint a nuptiis solemnitates, et pompae.

20. Quicumque viri, et mulieres, debitis denunciationibus non praemissis, aut absque solemnitatibus a Sacro Concilio Tridentino sancitis, aliisque Canonicis requisitis, matrimonia per verba de praesenti inire minime dubitaverint, (quamvis coram Parocho, simulatis tamen praetextibus arcessito, vel per fraudem; aut vim ad suam praestandam assistentiam inducto,) nec non universi ad hoc auxilium, sive consilium praebentes, excommunicationis gladio ipso facto transverberentur.

21. Cum vero grave peccatum sit, ut Tridentini Patres loquuntur, homines solutos concubinas habe-

re, et in huius magni Sacramenti contemptum uxoratos quoque in tali damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi cum uxoribus alere, et retinere; idcirco ut tanto malo ea, quae possumus, repagula opponamus, cum ipso Tridentino (1) statuimus, in illos (postquam ter admoniti fuerint, nec concubinas eiecerint, seque ab earum consuetudine seiunxerint) invocato, si opus fuerit, saeculari brachio, providendum.

(1) *Sess. 24. cap. 9. de Refor. Matr.*

PARS III.

DE CLERICORUM OFFICIIS, ALIISQUE AD ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM PERTINENTIBUS.

CAPUT I.

De vita, et honestate Clericorum.

Cum Clerici, ut Hieronymus docet, de sorte sint Domini, vel ipse Dominus sors, idest pars eorum sit; nullo negotio perspicitur, qua vitae honestate, et morum innocentia debeant praelucere. Ipsi ab aliis segregati, tanquam Aaron, et delati a Deo in partem Sanctorum in lumine, agnita dignitate sua, prae omnibus caveant oportet, ne in veterem vilitatem degeneri redeant conversatione. Ipsi, quos lucem mundi in candelabro positam esse voluit Christus Dominus, operam dare debent, ut quod nomine profitentur, re exprimant, adeoque populo sanctitatis viam commonstrent, et *eorum vita*, aiente Augustino, *eruditio sit aliorum, et assidua salutis praedicatio.* Satagant igitur Clerici, in quocumque sint ordine constituti, ita se gerere, ut (Apostoli Pauli verbis uti-

mur), qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes mali dicere de ipsis (1). Aures praebeant Patribus Tridentinis sic loquentibus: » Cum enim (clerici) » a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspi» ciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos » coniiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Qua» propter sic decet omnino Clericos in sortem Domini » vocatos, vitam, moresque suos omnino componere, » ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omni» bus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione » plenum praeseferant (2) ». Cum autem id omnem nostram expostulet sollicitudinem; quae a Clericis sunt speciatim implenda, quaeque declinanda, heic statuamus oportet.

» 1. Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui » se divino cultui addixerint, sit indignum in impu» dicitiae sordibus, immundoque concubinatu versari, » satis res ipsa communi fidelium omnium offensio» ne, summoque Clericalis militiae dedecore testatur ». Sic laudatum Tridentinum Concilium (3). Ut igitur non tantum a vitii huius reatu, sed ab omni etiam specie, ac suspicione alieni essent Clerici, valde sollicita semper fuit Ecclesia. Hinc omne haud necessarium

(1) *Ep. ad Tit. cap.* 2.
(2) *Sess.* 22. *cap.* 14. *de Reform.*
(3) *Sess.* 25. *cap.* 14. *De Reform.*

et nimis familiare cum mulieribus consortium, tanquam incontinentiae periculum, et suspicionem ingerens Clericis interdixit. Quin Synodus Audomarensis perpendens, quam periculosae plenum aleae id sit, praecipit: » Ut cum mulieribus etiam sanctitate spectatis, » extra honestatis necessitatem, non conversentur : *de » vestimentis eorum* (quod monet Sapiens) *proce» dit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Et melior » est, minusque periculosa in virorum conversatione » iniquitas viri, quam mulier benefaciens. » Hinc sub poenis a sacris Canonibus, et Concilio Tridentino statutis, abhorreant Clerici a consuetudine mulierum, etiam ancillarum muniis fungentium. *Periculose enim*, ait Divus Hieronymus, *tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis* (1). Excipiuntur, quae bene audientes primo, secundo, aut etiam tertio consanguinitatis, vel affinitatis gradu ipsis coniunctae sunt, aut saltem quinquagesimum aetatis annum excesserunt.

2. Ex dictis haud difficulter infertur, Clericos sub iisdem poenis, ebrietatem etiam, et commessationes declinare debere. Cui enim incompertum est illud Apostoli: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (2)? illudque Hieronymi: *Ventris saturitas seminarium libidinis est* (3)?

(1) *Ep. ad Novat.* (2) *Ad Ephes.* 5. v. 18.
(3) *Lib.* 2. *contra Jovin.*

3. Abstineant etiam Clerici ab otiando in tabernis, et popinis, » Neque edendi, vel bibendi causa » tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis, vel alia » necessitate compulsi ». Sic praecipit sub poena arbitraria Melchiniense Concilium.

4. Effugiant praeterea Clerici ludos illicitos, maxime alearum, a sorte pendentes, et praesertim in locis publicis, et apothecis. Hos enim ludos, tanquam discordiae, et rixarum scaturiginem, nedum Canonicae, sed et civiles leges interdixerunt.

5. Sciant quoque Clerici a Patribus, et sacris Canonibus sibi prohibitas esse quaestuosas negotiationes, sive per se, sive per alios. Audiant praecipue Alexandrum III. Londinensi Episcopo sic rescribentem: » Secundum instituta Praedecessorum nostrorum sub » interminatione anathematis prohibemus; ne Mona» chi, vel Clerici causa lucri negotientur ». Imo addunt Canones, vetitum esse Clericis decimas, census, praedia, aut terras alienas conducere quaestus faciendi gratia.

6. Nec in functionibus Ecclesiasticis turpe lucrum, sed Dei gloriam, et populi utilitatem sibi proponant.

7. Ministrorum etiam nostrae Curiae manus a turpi abhorreant lucro; ac sportulae iis exhibendae haud excedant Innocentianam, et consuetam Dioecesanam taxam.

8. Vilia, et turpia munera, atque opificia, quae Ecclesiasticum statum dedecorant, ne gerant Clerici, scientes, Clericalibus privilegiis talia exercentes privari (1).

9. Cumque Clerici in sortem Domini vocati sint, a laicorum negotiis accurandis, et ab officiis saecularibus abstineant, ac quae saeculi sunt, amáre dediscant. Nam mittentes manum ad aratrum, et respicientes retro, aptos non esse regno Dei, Sapientiā edixit Divina (2).

10. Tumultuosas etiam devitent venationes, quae cum Clericali lenitate pugnant, et a sacris ministeriis animum avertunt, ideoque Clericis a Canonibus prohibentur. Nec deferant arma, quae animi feritatis indicia praebent. Audiant S. Ambrosium aientem: *Lacrymae meae mea arma sunt.*

11. Vertente Bacchanalium tempore, ementito incedere habitu, seu larva sese induere non audeant. Nec loca publica, ubi ludis, nec etiam secreta, ubi quibuscumque scenicis repraesentationibus datur opera, ingrediantur.

12. Si quando propinquorum nuptiis, ubi tripudia, et choreae agitantur, interesse necessitas cogat, non modo Clericali decori prospiciant, sed eas tem-

(1) *Cap.* unico *de vita, et hon. Cler. in VI.*
(2) *Luc.* 9. *v.* 62.

perantiae, ac modestiae exemplo sanctificare contendant.

13. Neque testimonium dicant, neque criminentur absque nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia (1).

14. Nec Causidici, Advocati, aut Procuratoris munere in quocumque laicali Tribunali fungantur Clerici, exceptis causis propriis, Ecclesiarum, aut miserabilium: nec tamen in eis versentur sine praefata licentia; quam etiam requiri volumus in tutoris, aut curatoris muniis acceptandis.

15. Nulli Clerico in quocumque gradu constituto incertis vagari sedibus, vel a Dioecesi discedere liceat, nisi ob legitimam causam per Nos, vel per nostrum Vicarium Generalem cognoscendam, nec sine licentia in scriptis concedenda. Alias ad sacrorum Canonum normam corrigetur (2).

16. Cum autem decentia habitus extrinseci intrinsecam morum honestatem ostendat, et in habitu, ac tonsura incedere oporteat quotquot Ecclesiae servitio addicti sunt (3); hinc Clerici collare, et coronam, suo quisque ordini congruam, deferant. Ve-

(1) *Ex Conc. Agathen. C. 32.*
(2) *Tit. de Cleric. non resident cap. 11.*
(3) *Trid. Sess. 14. De Reform. cap. 6.*

stibus utantur nigri coloris, nec nimis splendidis, nec sordidis, aut laceris, ad mediam saltem tibiam descendentibus, ut a saeculi more, et vanitate abhorreant. *Vestes pullas aeque devita*, ait Hieronymus (1); *ornatus, et sordes pari modo fugiendae sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Pileos rotundos non, nisi iter facientes, adhibeant; nequaquam autem fasciolas, seu focalia. In calceamentis non adeo rusticis fibulas modestas, non vero corrigias, habeant. Nec comam fictitiam absque debitis facultatibus, nec annulum deferant, nisi eis ratione dignitatis competat; qui tamen in Missae celebratione deponendus est, iuxta dicta in Part. I. Cap. IX.

17. Functiones Ecclesiasticas omni gravitate, ac pietate peragant, ut omnibus afferant venerationem. Nullus autem Sacerdos absque Parochi, nostrive expressa licentia functiones ipsas, benedictionesque ad illum spectantes, exercere audeat, sub poenis Canonicis.

18. Altum silentium, miramque modestiam in Sacristiis servent, praesertim cum sacris sunt iam iam functuri. Quod si quidquam fari necesse sit, submissa id fiat voce, et sine multiloquio.

(1) *Cit. Ep. ad Nepot.*

19. Attendant sibi, et doctrinae; Sacras litteras diurna, nocturnaque manu versent, ut laudatus Hieronymus ad Nepotianum scribit. *Sacras Scripturas lege, immo de manibus tuis nunquam sacra lectio deponatur.* Canones, aliasque Ecclesiasticas disciplinas assidue meditentur, ut Concilium Toletanum V. praecipit. Sacros ritus calleant; cantumque Gregorianum ediscant, atque in sollemnibus Ecclesiae functionibus adhibeant.

20. Conferentiis casuum moralium, iuxta methodum in Synodi calce praescribendam, Clerici omnes tam in maioribus, quam in minoribus ordinibus constituti omnino intersint; scientes, quod nec Confessariis excipiendi confessiones facultas prorogabitur, nec Ordinandi ad Ordines promovebuntur, nec Concionatores ad verbum Dei praedicandum admittentur, nec quisquam ad Beneficia obtinenda idoneus habebitur, nisi ab iis omnibus Praefecti fides iuramento roborata exhibeatur, ex qua constet, ipsos huiusmodi Congregationibus, et resolutionibus casuum frequenter intervenisse.

21. Clericorum conscientia semel saltem in hebdomada Sacramentali mundetur exhomologesi. Iidem mentali orationi quotidie vacent, cum in meditatione Dei charitatis ignis, ipso adiuvante, exardescere soleat.

22. Quandoquidem vero experientia testatur, ut verbis ipsis Clementis XI. utamur (1), maxime conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus renovatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, ac recte, sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur; hinc Apostolicae huic sanctioni inhaerentes, animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Ecclesiasticos enixe hortamur, ut eadem exercitia saltem semel in anno per dies decem in aliqua domo Religiosa peragant; scientes, Indulgentiam plenariam ea recte conficientibus esse concessam, Parochosque, et caeteros ad personalem residentiam obstrictos tunc temporis ab ea dispensatos esse, ac distributiones quascumque lucrari, perinde ac si choro, divinisque officiis interessent.

23. Quoad reliqua ad nostrum Clerum spectantia, servetur ad unguem, quod a sacris Canonibus, Regni legibus, et nostris Edictis praescriptum fuit. Qui autem suis deerunt muneribus, divinam indignationem, et nostram Pastoralem sollicitudinem haud effugient.

(1) *Encycl. ad univer. Ital. Ord. 1. Febr. 1710.*

CAPUT II.

De Capitulo Cathedrali, et Cleris Receptitiis.

Cum Collegium Canonicorum singulis Cathedralibus Ecclesiis inservientium principem cuiusque Dioecesis Clerum referat, simulque Ecclesiae Senatum, unumque corpus cum Episcopo, qui caput eorum est, componat; Capitulum haud immerito nuncupatur. Ex quo quisque facile intelligit, Canonicos nedum scientia, sed et sanctimonia, ac integritate morum eo magis praelucere debere, quo reliquis Clericis et nomine, et dignitate praecellunt. Ab iis, tanquam a concilio iustorum, et congregatione, tam in Clericalem ordinem, quam in saecularem coetum bene vivendi norma debet profecto manare. Quid ergo dedecoris esset, si res aliter se haberet? » Canonici nomen, ait Joannes Molanus (1), honoris titulus est, sed si eo indigne utamur, fit ut sues cum ornamento esse videamur. Qui Canonicus est, et canonice non vivit » nomina haec secum ad damnationem suam portat, » et in iis se ipsum, quod male vixerit, damnat. Haec » sunt nomina, quae eos accusabunt, dum Maiestas » venerit iudicantis, et quae illis erunt in testimonium » suae perditionis, cum audietur sententia iudicantis,

(1) *Lib. de Can. Cap.* [illegible]

1. Idcirco quotquot Capitulum constituunt, satagant munus suum sancte, ac fideliter explere. Meminerint, se in choro nomine totius populi stare ante conspectum Dei, ut eidem sacrificium laudis offerant, et pro populo adprecentur. Hinc Coelites aemulando, qui cum tremore, ac reverentia Deum collaudant, et benedicunt; pie pariter, attente, ac devote eius concelebrent laudes in psalmis, hymnis, et canticis.

2. Quae de religiosa Chori disciplina opportune statuit S. Carolus Borromaeus, utiliter prae oculis habeant (1).

3. Servato consueto horario in Tabella exposita in Sacristia praescripto, et campanulae signo dato, ad tramites Caeremonialis Episcopalis, bini ad Chorum accedant omni gravitate, ac modestia, et propriis uniformibusque amicti insignibus, nunquam vero ocreis calceati, nec sine veste talari: neque ex eo, officiis incoeptis, exeant, nisi ob causam urgentem, petita prius a Punctatore licentia. Secus non facient fructus suos.

4. In propriis stallis, et locis sedentes, alternatim psallant, et canant, non cursim, raptimque, sed clare, et distincte, inque versiculorum medio, ubi asteriscus elucet, aliqua interponatur mora; ac unusquis-

(1) *Conc. Mediol. V. part. 3. cap. 6.*

que ita suam moderetur pronunciationem, ut Chori partes se invicem intelligant.

5. Silentium in Choro diligenter, et integre custodiatur, amotis nedum diverbiis, et collocutionibus, verum etiam quacumque animi distractione; ne Capitularibus corpore in templo, mente in foro distentis illud apprime conveniat, quod scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos* (1) Exemplum sectentur Apostoli Pau li de s ipso loquentis: *Psallam spiritu, psallam et mente* (2).

6. Nec laici, et praesertim pueri, in Chorum inducantur, nec epistolae, nec alia scripta legantur, nec ipsa Capituli, aliave quaecumque negotia, durantibus divinis officiis, pertractentur.

7. Rubricae in omnibus Ecclesiasticis functionibus uno eodemque modo serventur in sedendo, genuflectendo, caput inclinando, aliisque caeremoniis praescriptis, ita ut omnes simul eamdem exequantur ritum.

8. Omnes a nutu pendeant Praefecti Chori, vel alterius, qui in eius vicem succedit; cuius erit curae ut cuncta rite, recteque procedant. Qua super re coscientiam suam oneramus.

9. Antequam Chorum ingrediantur, videant, quodnam Officium sit recitandum, quae commemorationes

(1) *Psal. 139. v. 10.*
(2) *I. ad Cor. 14.*

fieri debeant, quae lectiones, et homiliae sint legendae, ne imparati accedentes in errores labantur.

10. In abrogatis Sanctorum festis, eorumque vigiliis retineantur, et sicut prius, celebrentur Officia, et Missae, quemadmodum Pii VII. Constitutione sub die 10. Aprilis 1818. hac super re edita praescribit.

11. Missam Conventualem pro Benefactoribus quotidie applicare necesse est.

12. Ad sacri Caeremonialis praescriptum, solemnis Missa pro defunctis huiusce Dioecesis Antistitibus, prima die infra Defunctorum Octavam non impedita, in Cathedrali Ecclesia celebretur. Pro Antistite autem proxime defuncto, ad praescriptum eiusdem Caeremonialis (1), singulis annis in die obitus anniversarium in dicta Cathedrali Capitulum celebrare haud omittat.

13. Punctatores quotannis per suffragia eligendi, qui de suo munere fideliter exequendo iuramentum coram Nobis, vel nostro Vicario Generali omnino praestare debeat, librum penes se retineant, quo eos, qui divinis Officiis non intersunt, de more diligenter adnotent.

14. Iuxta decretum a Sacra Congregatione editum sub die 16. Martii 1593. quoties expediet, ab Episcopo pro libito eligetur Contrapunctator, cum cuius libro

(1) *Caerem. Episc. lib. I. cap. 36, e 37.*

ille, qui a Punctatoribus confectus fuerit, conferri debebit.

15. Punctatio iuxta solitum procedat; Episcopo autem celebrante, ad ipsius libitum.

16. Monitos volumus Punctatores, quod sive punctandos praetermiserint, sive praetermittendos punctaverint, praeter lethalem culpam, qua ob fractam iurisiurandi fidem, et iniustitiam admissam obstringentur, pro illati damni mensura restitutioni fient obnoxii.

17. Distributiones lucrabuntur, qui vel ob adversam valetudinem, vel ob maiorem Ecclesiae utilitatem, vel ob aliam urgentem causam Punctatori pandendam a Choro absentes sint. Noverint tamen, qui falsas, ut punctationem effugiant, comminiscuntur excusationes, se praeter peccatum mortale, in coscientia obligari ad restituendas distributiones integras male perceptas.

18. Adversa valetudo recte a Choro excusans accipienda est, quamdiu ob eam quis domi suae detinetur. Quapropter nequaquam eos excusatos volumus, qui huc illucque discurrunt, solumque ad chorum pergere infirmitatis praetextu detrectant, nisi Medicorum fide iuramento firmata ambulationem sibi, tanquam remedium, praescriptum esse probaverint.

19. Quotiescumque Capitulum ab eo, ad quem spectat, convocari necesse sit, nunquam id fiat horis

pro officii celebratione statutis.

20. Negotia in Capitulo pertractanda, invocata prius Spiritus Sancti ope, singulari modestia, ac mutua charitate, quacumque contentione, et altercatione seclusa, discutiantur; ac quisque sive Canonicus, sive Mansionarius ordinatim suam proferat sententiam. Quibus rite discussis, per suffragia secreta, si opus sit, determinatio capiatur, et in libro ad hoc destinato a Canonico Secretario inscribatur.

21. Quod si tractanda, vel definienda ad aliquem Canonicum, vel Mansionarium spectare contingat, ipse tunc temporis extra Capitulum commoretur.

22. Quae in Capitularibus Congregationibus dicta, vel tractata sint, nemini prodere liceat, sub poena suspensionis a divinis.

23. Declaramus autem, nunquam Capitulares censendos esse in Capitulo congregatos, nisi eorum numerus alteram ex duabus partibus excesserint.

24. Nullus de Capitulo alios subornare, et suffragia pro aliquo, vel contra aliquem aucupari audeat. Attamen de eligendorum meritis possunt Capitulares mutuum habere sermonem, quo magis idonei, et utiles ad officia assumantur.

25. Capituli Procuratores, ad quos tantum spectat eius reditus exigere, aequos, et aequabiles singulis Capitularibus se praebeant in illis distribuendis. Scriptum est enim: *Non alligabis os bovi trituranti;*

et dignus est operarius mercede sua (1). Singulis autem annis dati, et accepti rationes, reddant, quarum codex in Capitulari Archivo asservabitur.

26. Capituli Scripturae in Archivo asservatae diligenter custodiantur, nec aliquam earum, vel exemplar inde extrhaere ullatenus cuipiam liceat, nisi consentiente Archivario, et ipso Capitulo, sub poena suspensionis a divinis ipso facto. Si quis autem scripturas ad Capitulum spectantes penes se scienter retineat, nec restituat, excommunicatione protinus innodetur.

27. Canonicus Poenitentiarius confessionibus excipiendis assiduam operam praebeat.

28. Canonicus Theologus, ad sacrarum sanctionum praescriptum (2), tempore Adventus, ac Quadragesimae, et saltem diebus Dominicis, demptis feriis aestivis, Scripturales lectiones continue peragat; quibus huiusce Civitatis Clerici, in quocumque sint ordine constituti, intersint. Ipsum autem cum Concilio Romano (3) hortamur, ut cum non omnes auditores eodem polleant ingenio, clara, et pro singulorum captu dicendi ratione utatur: potissimumque monemus, ut in hoc maximo ministerio ea ipsi prae-

(1) *I. ad Tim. 5. 18.*
(2) *Trid. Sess. 24. de Refor. cap. 8.*
(3) *Tit. 1. cap. 8.*

cipua sit methodus, quatenus litterali in unaquaque lectione textus enerratione praemissa, duas plerumque ex iisdem Sacrae Scripturae locis proponat, enodetque quaestiones, historicam unam, moralem alteram, vel de nostrae fidei articulis, et Sacramentis, vel de Catholicae Ecclesiae ritibus, eorumque mysteriis, vel de aliis ad sanam doctrinam, et christianam institutionem spectantibus, quae humanae nedum eruditioni, sed spirituali etiam auditorum saluti prodesse valeant.

29. Tam Poenitentiarius, quoadusque audiendis confessionibus revera vacet, quam Theologus iis diebus, quibus sacrae Scripturae lectionem habeat, nullam distributionum patientur iacturam.

30. Quoniam in Choro Dei laudes decantare, eiusque nomini psallere necesse est; nemo non videt, Capitulares Gregoriani cantus peritos esse debere. Quare nullus Presbyter ad Mansionariatum in hac Cathedrali Ecclesia promovebitur, nisi in eodem cantu sit satis versatus.

31. Quoad reliqua, quae hic decerni possent, prae oculis habeantur Capitularia Statuta, et nostra Edicta.

32. Quae de Capitulo Cathedrali hisce Synodalibus decretis constituta sunt, Clerum etiam receptitium, debita ratione servata, obstringant quoad Offi-

cium, ubi consuetudo adest illud recitandi, necnon quoad caetera.

33. Cum autem iure compertum sit, Ecclesiasticos reditus, cuiuslibet generis sint, semper referri ad exercitium sacri ministeri, et divini cultus; hinc perspicuum est, Presbyteros participantes, praeter Residentiae debitum, teneri ad operam suam Parochis praestandam in animarum servitio. Quocirca opus est, ut idoneos se reddant ad Sacramenta, Poenitentiae praesertim, fidelibus ministranda. Ac proinde nemo in Ecclesiis receptitiis, (quae ubi non adsunt, iuxta Regale Decretum diei 18. Novembris 1822. sunt instituendae), ad portionem admittetur, nisi praevio examine coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, ac tribus Examinatoribus Synodalibus subeundo, ad praescriptum Constitutionis *Impensa* a Pio VII. editae sub die 13. Augusti 1819 et Regio assensu roboratae die 7. Septembris eiusdem anni.

CAPUT III.

De Seminario.

Cum antiquissima Seminariorum institutio perquam utilis sit, eam sapienter renovavit Tridentinum Concilium, eiusque egregius interpres, et executor S. Carolus Borromaeus. Ipsa eo spectat, ut adolescentes, qui populorum doctores futuri sunt, ad doctrinam, et probitatem informentur. Huiusmodi scopum animo reputans Martinus Rithovius Episcopus Iprensis, postquam iuventutem in Seminario docendi, et instituendi normam proposuit, haec subdit. » Omnis autem » institutio in hac Schola eo principaliter dirigatur, » ut qui instituendi suscipiuntur, in timore Dei foveantur; et in bona voluntate ministeriis Ecclesiasticis sese mancipandi confirmentur: ut cum aetate, ac litterarum scientia ad virtutum, et gratiarum proficiant incrementa, iactaque in eis semina » tandem in agro Domini fructus referant copiosos (1). » Ad opus hoc, quod inter Episcopalia munera principem tenet locum, recte dirigendum, nihil pro hoc Dioecesano Seminario intentantum reliquimus. Hinc quae ad finem assequendum praescripsimus, ut sarta

(1) *Syn. ann.* 1577. *tit.* 23. *c.* 5.

tecta maneant, Synodali hac constitutione volumus confirmata.

1. Nemo Seminario aggregetur, quin prius de eiusdem probata vita, ac morum honestate constiterit; atque bona indoles, et ingenium, quae iubeant de eo bene sperare, affulgeant.

2. Nunquam liceat Convictoribus extra Seminarium pernoctare sine nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia ex iustis, et probatis causis concedenda. Praescripto autem tempore ad Seminarium revertantur, alias, Nobis inconsultis, minime recipientur. At extremis Bacchanalium diebus, necnon Festis solemnioribus eos proprias petere domos, omnino prohibemus.

3. In Seminarium nemini pateat ingressus, nisi per ianitorem, et de introeuntibus certior fiat Rector. Nec, eodem inscio, epistolae exinde mittantur, vel a Convictoribus accipiantur.

4. Libros ad proprios pertinentes ludos, eosque a Rectore recognoscendos, sibi comparent singuli Convictores. Nec iis desit liber aliquis pietatem fovens, una cum Crucifixi, aliaque pia Imagine. Clericalem tonsuram cum corona cuique Ordini congruente deferant. Biretum Ecclesiasticum, ac superpelliceum mundum, necnon reliqua a Regulis praescripta, habeant.

5. Horarium statutum ad unguem servetur, ita

ut singulis diebus primo mane, cum e cubili surrexerint, et noctu, cum se somno sint tradituri, mentali, vel vocali orationi devote, ac humiliter aliquamdiu vacent. Quolibet autem Sabbato sub noctem in doctrinae Christianae scholam a Rectore una cum brevi spirituali sermone habendam incumbant.

6. Utque in dies valeant de virtute progredi in virtutem, semel in hebdomada Sacramentali mundentur exhomologesi, et sacratissima, quotiescumque fieri poterit, Communione reficiantur.

7. Festis diebus, ad Tridentini Concilii praescriptum (1), modeste ac diligenter nostrae Cathedrali Ecclesiae inserviant, maxime vero cum Vesperas, Missasque Pontificales celebrari contigerit; et sacris Concionibus, atque exercitiis indesinenter, summoque silentio intersint.

8. Cumque charitas sit vinculum perfectionis, sese fraterne, et mutuo diligant. Rectori, Praefectis, ac caeteris, qui praesunt, debitam praestent obedientiam. Virtutibus aliis, non secus ac studio, sedulam operam navent.

9. Quolibet semestri spatio statutam pecuniae summam in antecessum solvant. Quae solutio semper integra sit, quamvis paucis post diebus Convictor aliquis e Seminario sit egressurus, ita ut Semestre

(1) *Sess.* 22. *C.* 9.

incoeptum habeatur pro completo, exceptis tamen causis in Regularum codice enunciatis, et ab Episcopo expendendis.

10. Seminarii Procurator quotannis coram Nobis, prout hactenus peractum est, gestionis suae rationem reddat, cum hoc Tridentini decretis adprime respondeat (1).

11. Ad eiusdem Tridentini mentem ut propius accedamus, quoniam difficile est, ubi vitiorum habitus totum possederit hominem, ipsum ad rectum tramitem revocare, ac Convictores in Ecclesiastica disciplina continere, cum feriarum tempore e Seminario egredientes, sine duce, et custode incedant; idcirco mandamus, ut Parochi, et Vicarii Foranei candidatorum extra Seminarium degentium vitae, et moribus invigilent; ac declinante Octobris Mense fidem iuramento firmatam de iisdem ad Nos transmittant, ut sic morbidas oves secernere possimus, ne totum corrumpant ovile.

12. Ut autem currentibus stimulos addamus, operae pretium ducimus nonnulla salutaria monita eorum, qui Seminarii clavum proxime tenent, oculis subiicere.

13. » Illud (inquit S. Carolus) saepius Rector » animo repetat, quam grave suis humeris onus in» cumbat, cum eorum, qui in Seminario vivunt,

(1) *Ibidem.*

» recta institutione totius Dioecesis reformatio pen-
» deat. Quapropter ut qui illius fidei commissi sunt,
» eos e Seminario fructus percipiant, quos Eccle-
» sia sancta, ac Tridentinum praecipue Concilium
» sibi proposuit; quam diligentissime curet, ut qui
» illi subiecti sunt, in eo tanquam in speculo expres-
» sam videant eius vitae imaginem, quae illi omni
» studio sit effingenda: meminerintque, exemplum
» vivam esse doctrinam; nec ipsi minus cum taceat,
» quam cum loquatur, esse alios ad pietatem incitan-
» dos. Divinae in primis gloriae amplificationem, Cle-
» ricorum in omni virtute perfectionem semper ante
» oculos habeat, et ad eum finem omnes cogitationes
» referat, et curas. Curam omnium collegiorum eius-
» dem Seminarii primam, et praecipuam habeat (1) ».

14. De Praeceptoribus haec habet Van-Espen.
» Hoc notorium, et quotidiana experientia compro-
» batum est, a pietate, eruditione, ac zelo Profes-
» sorum maxima ex parte dependere Seminariorum
» fructum; ac a Seminariis plerumque haberi Sacer-
» dotes, ac Pastores, Professoribus in pietate, do-
» ctrina, et zelo animarum similes: ut propterea cu-
» randum sit Episcopis, aliisque, qui Seminariis in-
» tendunt, ut Professores pietate, eruditione, ac zelo
» animarum praestantes praeficiant, si Pastores iis qua-

(1) *Instit. par. 2, c. 2.*

» litatibus instructos desiderent (1) ».

15. De quolibet porro Seminarii Confessario haec scribit laudatus Mediolanensis Antistes: « Studeat in » omnium mentibus maximum animarum zelum, » propriae voluntatis abnegationem, veram obedien» tiam, paternam charitatem inserere; solam denique » illis Dei gloriam, et animarum salutem procuran» dam esse doceat, et expetendam ». Et paulo post: » Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentia, cha» ritate officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem » tueatur (2) ».

16. Cum vero omnia irrita evadant, nisi ii, qui Praefectorum nomine censentur, curam, et laborem cum Rectore, Praeceptoribus, et Confessariis partiantur, eisque adiutrices praestent manus; illos enixe monemus, ut suo fungantur munere, et Regularum observantiam in singulis contuberniis pro virili curent. Secus non solum metuendum Dei vindicis iudicium patientur; verum etiam ab Ordinationibus arcebuntur.

17. Quoad rem litterariam, cuncta a studiorum Praefecto pendeant.

18. Reliqua pro adolescentium institutione, ac pro integro Seminarii regimine iam a nobis ordinatim digesta executioni diligenter demandentur. Ideo eadem

(1) *Part. 1*, *tit. II. c. 2.*

(2) *Cit. loc.*

saltem semel in anno coram omnibus perlegantur, ut audientium mentibus firmius inhaereant.

CAPUT IV.

De Parochis, sive Archipresbyteris.

Perquam grave, et vere Angelicis humeris formidandum onus succollant Parochi. De ipsis sic loquitur Synodus Gandensis (1): » Saepe recogitent Pa» stores, se ad ovium suarum salutem omnes suas » actiones, et functiones pastorales dirigere debere, » et sibi aliquando pro animabus earum reddendam » rationem in strictissimo Dei iudicio ». Hi siquidem a Deo constituti sunt speculatores, et vigiles, qui, aliis dormientibus, populum debent impigre custodire, et forma facti gregis ex animo, ipsum assidue pascere. Caveant igitur, ne eorum socordia ovis vel unica a iustitiae, ac veritatis semita aberret; ac rugientibus Averni leonibus devoranda obiiciatur. Etenim ipsius sanguinem de eorum manibus Altissimus vindex requiret, eosque tanquam mercenarios gravissime puniet. Ut huiusmodi poenam valeant devitare, quae sequuntur, adamussim impleant.

1. Ut plebis suae necessitatibus praesto esse possint, intra Paroeciae suae fines resideant Parochi,

(1) *Tit. 16. c. 9.*

iuxta sacrorum Canonum, et Tridentini Concilii sanctiones, necnon plurium Summorum Pontificum Constitutiones; atque Ecclesiae Parochiali contiguam incolant domum; vel si ea non adsit, aliam eidem Ecclesiae viciniorem.

2. Ultra triduum, absque nostra licentia, ob iustam causam a Nobis, vel a nostro Vicario Generali cognoscendam, concedenda, nec nisi relicto idoneo Substituto a Nobis probando (1), et inibi pernoctante, a residentia non recedant Parochi. Secus praeter lethalem culpam meminerint, se non facere beneficii fructus suos, sed eis privari pro ratione absentiae. Qui fructus vel in pauperes loci, vel in usum Ecclesiae erogabuntur (2).

3. Si quis Parochus Adiutore, seu Oeconomo careat, et peregre iustam ob causam sit abiturus, nec idoneum habeat Sacerdotem, cui eius vices demandentur; tunc; urgente alicuius infirmi necessitate, liceat propinquiori Parocho Sacramenta eidem ministrare, citra tamen proprii Parochi, eiusque iurium praeiudicium.

4. Cum autem residentiae Parochis iniunctae finis non sit nuda eorum praesentia, sed ipsorum potius vigilantium, sedulitatem, ac sollicitudinem, gre-

(1) *Conc. Later. C. 32., et Trid. Sess. 31. C. 6.*
(2) *Trid. Sess. VI. de Refor. C. 1. et 2.*

gisque omnimodam securitatem praeseferat; intelligant Parochi, quod etsi substitutos, vel quemcumque Adiutorem, sive Oeconomum conducant, tenentur nihilominus per seipsos ovibus sibi commissis adesse; sibique, non mercenariis, ad quos de ovibus non pertinet, ipsas esse commendatas; ac proinde non ut se ab animarum cura omnimode eximant, sed ad levamen, uti posse Adiutoribus. Secus conscientiam habebunt ultricem, ac pro desidiae ratione fructus restituere tenebuntur.

5. Advertant Parochi, se esse platearum fontes, qui omnes sitientes ad aquas invitent; adeoque hora prima surgentes in sedibus confessionalibus paratos se exhibeant, donec omnium pietati, et devotioni pro eorum modulo satisfecerint. Diu noctuque, nulla personarum exceptione habita, omnibus prosint, quos ope spirituali, ac Sacramentorum praesidio indigere viderint; neque ullam commodi sui rationem habendam esse putent.

6. Praesertim curent diligenter Parochi, ne fideles sine ultimis Sacramentis, et religiosis officiis ex hac vita discedant. Hinc et infirmos suae Paroeciae noscant, ac invisant, et vocati in re trepida quocumque tempore alacriter accurrant. Vera enim confessio cum etiam in extremis esse possit, periclitantem sub peccatorum onere negligere, vel morientis desideriis non annuere, ne dicam se denegare, *quid hoc, rogo, est*

aliud quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Dominus ad subveniendum paratissimus invitet ad poenitentiam, sic promittens peccatori: In quacumque die conversus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei. Loquimur cum Coelestino I. (1).

7. Quo magis morbi ingravescunt, eo magis Parochorum sollicitudo ferveat, ne infirmi in illo praesertim momento, unde pendet aeternitas, destituantur. Eos igitur in tanti plena periculi arena luctantes, in christiana fortitudine, et virtute confirment Parochi, perque reiteratas voces, et pias preces, ac orationes, quas iaculatorias vocant, ad vividiores fidei, amoris Dei, contritionis, sanctaeque spei affectus excitent.

8. Diebus Dominicis, aliisque festis sollemnioribus Evangelia, vel aliquid eorum, quae in Missa leguntur, populo dilucide exponant animarum Rectores, et alia, quae dicenda sint, annuncient. Quocirca morale Evangeliorum commentarium, si qui illo careant, intra bimestre sibi comparent, aliosque libros ad suum spectantes officium penes se retineant, et assidue perlegant, ut quae sibi pro animarum cura recte gerenda necessaria sunt, haud ignorent.

---

(1) *Caus. 26. 2. 6. can. 13.*

9. Pravas consuetudines, si quas irrepere noverint, eradicare conitantur; et praesertim contractuum, in quibus plerumque committi solent usurae, debitas conditiones explicent, ut dolis, et fraudibus careant; illud Christi ob oculos ponendo: *Mutuum date, nihil inde sperantes* (1).

10. Rusticas aedes ab oppidis remotas quandoque circumeant, ac rudibus, et indoctis, coelestium mysteriorum ignaris, tanquam sibi per Evangelium genitis, verbum Dei, et fidei rudimenta explicent.

11. Omnes admoneant cum Apostolo, ut principibus, et potestatibus tam spiritualibus, quam temporalibus subditi sint; ac orationes pro iis, et privatim, et communiter fundant. In sollemnibus Ecclesiae functionibus Collectae fiant, ut in Missali, nempe pro Papa, et Rege.

12. Festis diebus sciant Parochi sibi non licere, praeterquam pro populo, Missas applicare, quamvis tenuissimi sint Paroeciae reditus, iuxta speciale Decretum Sacrae Congregationis Concilii die 10. Maii 1681. editum. Dictis autem diebus Missam celebrent hora populo potius, quam sibimetipsis accomodata, ut facilius ad illam fideles conveniant.

13. Signum salutationis Angelicae ter in die detur in singulis Parochialibus Ecclesiis, mane, vespere, et

(1) *Luc.* 6. 35.

meridie, ut ait Psalmista (1), tum ad laudes tota veluti die Deo persolvendas, tum ad lucrandas plenarias, atque partiales Indulgentias a Summis Pontificibus, et praesertim a Benedicto XIII., impertitas (2).

14. Ad Tridentini Concilii tramites, quo de Sacramentorum susceptione constet, quinque libros, scilicet babtizatorum, confirmatorum, mortuorum, matrimoniorum, et status animarum habeant Parochi bene compositos, membranis contectos, et corrigiis alligatos, nitido, et purgato charactere conscriptos; ubi statim, et sine mora a Sacramentorum ministratione particulae adnotentur ad formam Ritualis Romani, cum descriptione nominum, et cognominum in margine, et cum indice in fine, aut in principio ad amussim respondente. In ipsis aetatem, annos, menses, et dies non arithmeticis notis, sed litteris extensis inscribant; paginas vero, et indices notis signent arithmeticis. Quotannis autem renovent praefatum librum status animarum, ut facilius oves ipsorum curae commissas cognoscere possint, illumque conficiant expleto tempore praecepti Paschalis, quando schedulae exiguntur, ut qui illi non satisfecerint, procul dubio dignoscant.

15. Praedictos libros clave munitos penes se ita

(1) *Psal. 54. v. 18.*
(2) *Constit. Iniunct. die 10. Jan. 1725.*

custodiant Parochi, ut nemini pateant; nullique, nisi ipsis praesentibus, legendos tradant. Nec rogati quidquam in iis immutent, absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis in scriptis licentia.

16. Ecclesiarum suarum nitori, ac munditiae magnopere consulant; nec patiantur, altaria alicuius dominio addicta decenti cultu, ac ornatu carere, sed Patronos instanter moneant, ipsisque spernentibus, ad Nos referant pro opportuno remedio.

17. In omnibus emolumentis Parochi, Substituti, atque Oeconomi locorum consuetudini, dummodo cum taxa Innocentiana non pugnet, sese conforment, atque in distributione servent decretum Regium diei 18 Novembris 1822. Cum matrimonia sunt ineunda, vel status liberi emittendi, non exigant Parochi, nisi septem carolenos, quemadmodum Regni leges praescribunt.

18. Parochi singulis mensibus ad Nos, vel ad nostrum Vicarium Generalem accedere satagant, de animarum cura collocuturi, et quidquid evenerit, ac remedio indigeat, nunciaturi.

19. Ut demum Parochis proprii muneris partes aliae innotescant, atque ab ipsis expleri valeant; cuncta, quae in Capitibus de Doctrina Christiana, de verbi Dei praedicatione, de Festorum observantia, de Sacramentis, de vita et honestate Clericorum, alibique statuta sunt, semper prae oculis habeant.

CAPUT V.

De Vicariis Foraneis.

Cum maxime deceat, ut Praesul quantumvis idoneus sua cum aliis onera partiatur, laudabilis invaluit consuetudo in iis Dioecesis oppidis, ubi expediens videatur, Foraneos Vicarios ad nutum amovibiles deputandi, qui eidem Praesuli in sua Cathedra residenti opem praestent. Quae sint eorum facultates, ex litteris quibus muniri solent, apertissime liquet. Ecclesiasticae disciplinae lumen, et parens S. Carolus Borromaeus huiusmodi Vicarios instituens in Concilio Mediolanensi I. omnem eis demandavit provinciam, quae Archipresbyteris, et Decanis ruralibus olim tribuebatur. Eorum origo, antiquitas, atque auctoritas a iuris Canonici peritis indigitata satis superque ostendit, qua pietate, et doctrina pollere, et quam sollerter suis muneribus fungi debeant.

1. Itaque ipsi pro Deo, et propter Deum Evangelium non erubescant, sed diligenter inquirant, et in latebris scrutentur, quomodo Parochi, aliique animarum Rectores in pastorali officio se gerant, num Clerus, et populus, ut decet, vivant, num proprius in Ecclesia cultus adhibeatur; num sacra supellex debito nitore conservetur.

2. Omnem etiam sollicitudinem in eo reponant

nostri Vicarii Foranei, aut Synodalia statuta, et Episcopalium Visitationum decreta executioni mandentur.

3. Ne matrimonium inter personas aliquo impedimento irretitas iniri contingat, testes haud suspectae fidei examinent, praevio iuramento de veritate asserenda, et congruens Verbale ad nostram Curiam transmittant, iuxta allata in Cap. de Sacramento matrimonii.

4. Eleemosynarum Quaestores, sine praevia nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, pro locis piis per Vicarios Foraneos non admittantur, exceptis Regularibus Mendicantibus, iuxta tamen eorum Costitutiones et observantias.

5. Iidem Vicarii Foranei una cum Parochis invigilent, an Eremicolae regulas a sacris Synodis statutas (1) observent; an nostris litteris patentalibus muniti sint; an decentem habitum deferant; an pie et religiose vivant; an plures, quam duo in eodem Oratorio sint; an collectarum eleemosynarum quolibet anno rationem reddant; an singulis saltem Dominicis ad proprias Parochias accedant, et Christiana doctrina erudiantur; an Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta saltem semel in mense suscipiant; an cum foeminis quibuscumque convivant, vel eas seorsim in Oratorio admittant; an de loco in locum ad sui libitum se transferant.

(1) *Conc. Rom. tit. XXII.*

6. De his omnibus Vicarii Foranei singulis bimestribus saltem per epistolas Nos, vel nostrum Vicarium Generalem certiores faciant.

7. Si quis eorum suo haud recte fungatur officio, sciat, se non solum ab eo deponendum, sed graviter plectendum.

CAPUT VI.

De Regularibus.

Religiosorum Ordinum institutionem Ecclesiae, ac reipublicae perquam utilem et salutarem esse, iamdudum nostrarum rerum Apologistae adversus incredulorum deliramenta demonstrarunt. Ipsi sunt firmissima turris David, ex qua mille fulgentes Clypei pendent. Ex iis scilicet innumera prodierunt lucidissimae sapientiae volumina Orthodoxam Fidem illustrantia; haeresumque nebulas radiorum fulgore dissipantia. Ipsi ad ignorantiam depellendam, ad mores formandos, ad vitia coercenda, ad continendos in officio populos haud parvo fuerunt adiumento. Ipsi sunt, qui preces Altissimo infatigabiliter offerentes, non immerito possunt, Coeli claves nuncupari. Ut autem ipsi in animarum salute accuranda Nobiscum coniurent amice, de iis, in quibus auctoritati nostrae ordinariae, vel delegatae subiiciuntur, eosdem monitos volumus.

1. Regulares cuiuscumque Ordinis, aut Instituti nullatenus se immisceant in Sacramentorum administrationibus, in benedictionibus, et in aliis quibuslibet Ecclesiasticis functionibus, quae nonnisi ad Parochos ex officio spectant, vel Parochialibus iuribus adnexa sunt, et Regularibus ipsis per sacros Canones, Sacrarum Congregationum decreta, et Summorum Pontificum Constitutiones prohibentur (1).

2. Hinc nisi praesente Parocho, aut alio, qui eius vices gerat, defunctorum cadavera ne efferant, nec eadem domi, aut per viam aqua lustrali aspergant, nec solitas intonent precationes (2).

3. Regulares ad defunctorum exequias arcessiti, prout decretum fuit a Sacris Episcoporum, et Regularium, necnon Rituum Congregationibus, ac iuxta huiusce Civitatis consuetudinem, ad Cathedralem Ecclesiam prius conveniant, ut inde ad defuncti aedes cum Capitulo procedant (3).

4. In Sabbato Sancto nonnisi dato ab Ecclesia Cathedrali signo, suas pulsent campanas (4).

5. In SS. Corporis Christi Festo, cuius celebritas ea die solis Ecclesiis principibus conceditur, a so-

(1) *Const. 18. Greg. XV.* Inscrutabili.

(2) *Sac. Congr. Epis. 27. Jun. 1615.*

(3) *Sac. Rit. Congr. 15. Decemb. 1632. Sac. Congr. Episc. et Reg. 26. Aug. 1816. et 13. Nov. 1600.*

(4) *Sac. Congr. Ep. et Reg. 12. Jun. 1604.*

lemnitatibus, et Processionibus in sua Ecclesia abstineant (1).

6. Prae oculis habeant, impleantque ad unguem ea, quae de verbi Dei praedicatione, de Processionibus, de Poenitentia, de Extrema Unctione, de Ordine, et alibi a Nobis statuta sunt.

7. Quoad reliqua, exemptionum limites a Sacro Concilio Tridentino praescriptos Regulares servent.

CAPUT VII.

De officio Exorcistae.

Daemones aliquando, Deo permittente, hominum corpora obsidere, ac pervadere, eorumque organa ita agitare, et movere, ut variae inde prodeant actiones, animae imperio quasi suspenso, et impedito, sacrae Litterae, sanctorumque Patrum Traditio aperte commonstrant. At ad eos eiiciendos exorcismis semper usa est Ecclesia. Quod sublime officium haec prudens Mater non superioribus solummodo Ministris communicare, sed etiam inferioribus Ordinibus adnectere optimum duxit, ut Tartarei Goliath superbia parvi quoque Davidis funda eliderctur. Ad illud autem,

(1) *Clem. X. Const.* Superna *XI. Kal. Jul. 1810.*

prout decet, exercendum, sequentem praescribimus methodum.

1. Nemo sive Saecularis, sive Regularis exorcizandi munere in Exorcistatus collatione suscepto fungatur absque nostra speciali in scriptis licentia, sub poena suspensionis a divinis quoad Clericos Saeculares; et perpetuae inhabilitatis ad confessiones audiendas quoad Regulares.

2. Qui exorcizandi licentiam a Nobis obtinuerit, nequaquam ea utatur nocturnis horis, nec in privatis domibus, sed in publicis tantummodo Ecclesiis; et, multitudine amota, coram probis, honestisque viris; nedum ut actio decentius fiat, sed etiam ut piorum fidelium adstantium precibus apud Deum iuvari obsessus, et infensus hostis facilius deturbari valeat. Si qua autem foemina exorcizanda sit, coram honestissimae, ac probatissimae vitae mulieribus id peragatur.

3. Exorcizandi munus aggressuri, spiritualibus muniantur armis, nempe magna fide, devotione, humilitate, ac divina potissimum gratia per Poenitentiae Sacramentum, atque ad haec exequenda obsessos etiam hortentur.

4. Exorcistae nullis aliis utantur exorcismis, verbis, caeremoniis, signis, vel sacris vestibus, quam in Rituali Romano praescriptis. Item plurium energumenorum concursum evitent, praecipue gratia in-

quirendi aliqua ad alium obsessum spectantia. Hinc nulla in huiusmodi functionibus intercedat interrogatio, experimentum, et perconctatio, praesertim quae ad divinationem pertineat, et a sacris ritibus aliena sit.

5. Haud liceat Exorcistis medicamina, vel potiones energumenis praebere. Neque pro exorcismis peragendis aperiatur Tabernaculum, ubi venerabile Eucharistiae Sacramentum asservatur.

6. Caveant Exorcistae, ne quam pro huiusmodi officii exercitio ab obsessis, vel eorum propinquis mercedem exigant, aut oblatam accipiant.

7. Si quis autem exorcizandi munere abutatur, ad turpia, et obscoena mulierem aliquam provocando, graves pendet poenas.

8. Cum vero interdum sint quidam naturales morbi, qui falso Daemonis obsidentis effectus putantur, necnon aliquando in huiusmodi rebus fraudes obrepere soleant; opus est, ut summa Exorcistae utantur prudentia, et omnem adhibeant diligentiam, ut de mali veritate certiores reddantur.

CAPUT VIII.

De puellis in Orphanotrophio degentibus, ac de iis, quae privatim habitum Religiosum deferunt.

Quamquam praecipua nostra Episcopalis cura ad Dei ministros, et nostri ministerii socios sit intendenda; volumus tamen, ut adoloscentulae illae, quae vel parentibus orbatae, vel adversa afflictae fortuna in Orphanotrophio degunt, sentiant sibi in hisce Synodalibus decretis auxilium nostrum haud defuisse. Vigilans enim Pastor timens, ne earum receptaculum insidiis pateat, operam dare debet, ut arcum conterat, et confringat arma, quibus a vitiosis ipsae consortiis non raro sauciantur. Quoniam illae, aeque ac aliae, quae saeculi fatuitate reiecta Deo virginalem candorem dicarunt, chrystalli instar sunt, qui nedum si ciciderit, frangitur, sed per humani etiam halitus iniuriam obnubilatur.

1. Quamobrem nemini in Orphanotrophium, praesertim noctu, pateat ingressus absque Administratorum licentia. Excipimus eos, qui ex officio illud ingrediuntur, haud tamen inscia illa, quae eidem Orphanotrophio praeest. Neque hac inconsulta quis ad crates collocuturus accedat.

2. Sacerdotes ad Confessiones in Orphanotrophio

excipiendas a Nobis approbati, in sedibus confessionalibus dumtaxat, numquam vero intus, nisi urgente necessitate, huiusmodi munus exerceant.

3. Adoloscentulae omnes in Orphanotrophio commorantes nequaquam vanitati studeant; nec indumenta minus quam honesta, aut capillorum ornatum saeculum redolentem deferant; sed modestiam in incessu, ac in cunctis operibus praeseferant; Poenitentiae, ac Eucharistiae Sacramenta frequentent; Missae sacrificio assidue intersint; B. Virginis Rosarium iunctim recitent; humiles, devotasque se praebeant; mutuam animorum concordiam servent; ac Praepositae, cuius erit haec omnia curare, morem gerant.

4. Quod spectat ad mulieres, quae privatim viventes Religiosum habitum induere cupiunt, sciant, ad ipsum non esse admittendas sine nostra in scriptis licentia, et requisitis a Sacra Congregatione statutis (1). Ea autem sunt vitae, ac morum honestas, quadragenaria aetas, facultates pro sufficienti sustentatione, et cohabitatio cum consanguineis, aut affinibus in primo gradu. Haec omnia requisita apud Ordinarium esse probanda eadem S. Congregatio statuit.

5. Quaecumque autem ad alicuius Religionis habitum admissae hactenus fuerunt, vel deinceps admittentur, a velo, subgulari, et scapulari, quemadmo-

(1) *S. Congr. Ep. et Reg. 20. Novemb. 1616.*

dum praedicta Congregatio decrevit, prorsus abstineant.

6. Ipsae ab Instituti forma, cui nomen dedere, probe vivendi, ac Deo placendi consilium hauriant; nemini sint offendiculo, sed cunctis bonum praebeant exemplum; ad vanitates retro non respiciant, ubique et in omnibus modeste se gerant; atque assumpti habitus decori nullatenus adversari studiose contendant.

CAPUT IX.

De Sodalitatibus Laicalibus.

Quam bonum, et iucundum habitare Fratres in unum! praesertim cum ipsi animarum suarum emolumentum, et Dei cultum sibi proponant. Nihil enim melius, quam ut filii solliciti de unitate servanda in vinculo pacis, se sistant ante eum, qui inhabitare facit unius moris in domo; nihil iucundius, quam Apostolorum instar congregari, spiritum consolatorem dulcem animae hospitem ex alto illapsum recipere. Hoc quidem consilio instituuntur laicorum Sodalitates. Sed quia infensissimus humani generis hostis nullum non movet lapidem, ut piissimas, et maxime laudabiles depravet institutiones; ad hoc malum effugiendum, quae sequuntur, monita tradimus.

1. Statuta, seu Regulas suas a Nobis quoad spi-

ritualia approbatas, et Regio Placito munitas adamussim servent Sodalitates.

2. Singulae Sacerdotem habeant a Nobis approbandum; qui spiritualis Directoris munere fungatur, et praesertim Evangelium diebus Dominicis explanet.

3. Deum, qui, charitas est, in se suscipientes, vera charitatis opera exercere contendant, ne Altissimum, seclusa huiusmodi virtute, laudantes, veluti sonantia aera, et cymbala tinnientia fiant. Imo quibuscumque certaminibus, dissidiisque amotis, charitatem, quae non aemulatur, non agit perperam, non quaerit quae sua sunt, perpetuo custodire conentur.

4. A propriorum Parochorum subiectione se exemptas haud credant, nec Parochiales functiones perturbent. Solemnitates nonnisi ex nostra, vel nostri Vicarii Generalis permissione, et non sine Parochorum interventu, celebrent. Exequiis quoque Parochi intersint.

5. Sodalitatum reditus iis applicentur usibus, quibus a piis testatoribus, aliisve Benefactoribus addicti fuerunt, iuxta Tridentinum (1), et Regalia decreta.

6. Rationum redditioni, ad tramites eorumdem Regalium decretorum, Sacerdos a Nobis deputatus intersit.

7. Quaevis pia opera a Benefactoribus, et Testatoribus praescripta una cum aliis oneribus in tabellam

---

(1) *Sess. 22. de Refor. C. 8.*

redigantur, quae Oratorii parietibus suspensa omnium prospectui pateat, ut dictum est in Part. I. cap. IX.

8. Foeminas in Sodalium indicem referri concedimus, Oratoria autem ingredi ad sacras cum iis peragendas functiones prohibemus.

9. Ad publicas Processiones accedentes Sodales, debitum ordinem, omnimodamque modestiam servare praecipimus, atque praeter vestes proprias, quas induere debent, obvelato capite eos procedere optamus.

CAPUT X.

De Ecclesiae rerum administratione, et alienatione.

Sacrosancta Concilia docent, Ecclesiae res non esse tractandas ut proprias, sed ut Dominicas, et a Domino commendatas. Conciliis adstipulantur Summi Pontifices, qui monent, Fidelium res, quae Domino offeruntur, nequaquam in alios usus converti debere, quam in divinum cultum promovendum, et in caetera pietatis opera exercenda. Non dissimili modo Sancti Patres declararunt, sacras facultates esse patrimonia pauperum, deposita pietatis, et pretia peccatorum. At eo crevit hominum avaritia, ut neque huiusmodi rebus parceret. Quo quid scelestius excogitari potest? Audiatur S. Hieronymus: *Amico quidquam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est.* Et paulo post: *Accepisse, quod pauperibus erogandum*

est, et esurientibus . . . aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium praedonum crudelitatem superat (1). Ut scelus hoc averruncemus, et Christi Domini Sponsae dotem sartam, tectamque servemus, haec statuimus.

1. Admonemus in primis Ecclesiarum, Beneficiorum, locorumque piorum Rectores, et Administratores de poenis statutis in Constitutione Pauli II. quae incipit: ***Ambitiosae***, ac in aliis caeterorum Romanorum Pontificum adversus quoscumque vendentes, et alienantes quaelibet bona tam immobilia, quam mobilia pretiosa ad easdem Ecclesias, Beneficia, et loca pia pertinentia, aut ea obligantes, hypothecantes, in emphyteusim sub certo canone concedentes, vel ad longum tempus locantes, contra praedictarum Constitutionum formam. Contractus autem sic celebrati, sunt ipso iure nulli, irriti, et inanes. Per haec vero nihil derogatum volumus Regali Decreto diei 29. Januarii 1817.

2. Quoties in posterum huiusmodi alienationes, census, permutationes, transactiones fieri necessitas, aut utilitas, aut pietas suadeat; praeter facultatem a Sancta Apostolica Sede impetrandam, caetera a Regiis sanctionibus praescripta implenda sunt.

3. Ubi vero Ordinarii auctoritas locum habet, similes alienationes nullatenus fieri possunt, Nobis in-

(1) *Epist. 34. ad Nepot. t. 4.*

consultis, et non servatis aliis a iure statutis.

4. Nequeant praedicti Rectores, Beneficiati, Administratores, seu alii cuiuscumque nominis, et conditionis pecuniam ex capitalibus restitutis obvenientem, in emendis bonis stabilibus, vel censibus, annuis reditibus impendere, nisi servatis servandis, et praesertim iis, quae a Regio decreto sub die 29. Martii 1820. praescripta fuere.

5. Excommunicatione Summo Pontifici reservata innodantur usurpantes, aut iniuste detinentes quaecumque bona Ecclesiastica, necnon impedientes, quominus eadem iis Ecclesiis, locisque piis, ad quae pertinent, reddantur. Qui autem id compererint, ad Nos intra duos menses deferant.

6. Sedulo curetur, ne Ecclesiastica bona aut depereant, aut in deterius abeant.

7. Bona Capituli, aut cuiuslibet Beneficii nulli de eodem Capitulo, vel Beneficiati propinquo sine expressa nostra licentia locentur (1).

8. Procuratores, Rectores, et Beneficiati, intra spatium sex mensium a die publicationis huius Synodi Inventarium conficiant omnium bonorum mobilium, sive stabilium, et iurium ad eorum Ecclesias, vel Beneficia Episcopali nostrae iurisdictioni subiecta pertinentium, cum finibus, sitibus, et conditionibus rerum, iuxta methodum traditam in appendice ad Con-

(1) *Conc. Benevent. Provinc. 12. an. 1599. t. 34.*

cilium Romanum, necnon apud Crispinum, Gavantum, aliosque.

9. Huius inventarii duo authentica conficiantur exemplaria, alterum in Archivo nostro Episcopali, alterum in singularum Ecclesiarum Archivo, vel penes Rectorem, aut Beneficiatum conservandum. Hoc denique Inventarium decimo quoque anno renovetur. Quod si intra annum augeri, vel minui, aut mutari Beneficiorum statum contigerit, id etiam ibi adnotare Beneficiati haud omittant; quod an fideliter peractum sit, in sancta Visitatione disquirendum Nobis reservamus.

CAPUT XI.

De Decimis.

Quandoquidem, ut Apostolus loquitur; *qui Altari deserviunt, cum altari participant* (1), ac nemo militat suis stipendiis, dignusque est operarius mercede sua; hinc, ut veteris Testamenti leges praetereamus, fideles vel ab ipsis Ecclesiae exordiis aequum, iustumque habuerunt suis decimis, primitiis, et oblationibus animarum suarum Praepositos alere. Quod et a Patribus traditum, et a sacris Conciliis, Canonibusque statutum, firmumque habitum.

1. Idcirco Praedecessorum nostrorum vestigiis

(1) *L. ad Cor. 9. v. 13.*

insistentes (1), omnes hortamur, ut ad tramites antiquissimorum decretorum, confectarum transactionum, et legitimae consuetudinis, Regiis litteris roboratae sub die 5. Augusti 1815, Decimae alacriter solvantur Ecclesiis, eorumque Ministris, perinde ac Domino praebeantur, cuius est terra, et plenitudo eius, et a quo fruges, et quaestus ipsi omnes proveniunt. Animadvertant, parcissimas messes, argentarias inopias, reliquasque calamitates ex Decimarum fraudibus praecipue oriri; quemadmodum per Malachiam significat Dominus, qui postquam conquestus fuerat: *quia vos configistis me in Decimis, et in primitiis*, statim subdit: *et in penuria vos maledicti estis* (2). In memoriam revocent Augustini illud: *Maiores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo Decimas dabant* (3). Haec autem intelligenda sunt de locis iis, in quibus huiusmodi consuetudo viget.

---

(1) *Syn. Ascul. an. 1692. tit. 24.*
(2) *Malach. 3.*
(3) *Hom. 46.*

CAPUT XII.

De funeribus, et sepulturis.

Ab ipsis Ecclesiae incunabilis Christiani, quorum animo semper corporum resurrectionis, et alterius vitae veritas, Deo revelante, firmiter insedit, nedum cadavera sepelire, sed etiam devote illis iusta persolvere, pium, religiosumque duxerunt. Ut ut in cryptis arenariis, et coemeteriis reconderentur; nequaquam tamen, nisi cum sacris caeremoniis, et in locis religiosis ea tumulabantur. Ubi autem persecutionis turbo resedit, fideles religiosum arbitrati sunt in Ecclesiis apud Martyrum sepulchra post mortem quiescere; ut horum meritis, intercessione, ac suffragiis, quae ad ipsorum altaria offerebantur, utique et illi iuvarentur.

1. Jam vero si sermo sit de sepulturis in Ecclesiae ambitu effossis, ubi eae minus tribus cubitis ab altaris suppedaneo distant, infra duos menses terra implendae sunt; et ossa, si quae sint, alio transferenda.

2. Nemo autem audeat ad libitum sepulturas in quacumque Ecclesiae parte aedificare, ibique aliquod sepelire cadaver.

3. Lapides sepulchrorum in Ecclesiis existentium bene, et compresse ostium operiant, ne foetor fide-

les ab iisdem Ecclesiis avertat, et Ministros sacris operantes perturbet.

4. Quod autem attenet ad coemeteria ab Ecclesiis dissita, quae in hac Dioecesi construi coeperunt, sed nondum ad umbilicum perducta sunt, opus est, ut Episcopali benedictione signentur, antequam in ipsis cadavera sepeliantur. Eadem muro, et porta cum clavi ita debent occludi, ut bestiis nullatenus pateant. Crux in eorum medio collocanda est. Ast arbores, plantae etiam frugiferae, ac cespites, necnon ligna, et coementa, aliave honestati, et sanctitati eorum adversa, minime in ipsis locum habeant. Caetera a Regio decreto sub die 11. Martii 1817. hac super re statuta ad amussim serventur.

5. Ubicumque tamen cadavera sepeliri contigerit, antequam domo educantur, per proprium Parochum benedicenda sunt, eoque comite ad Ecclesiam associanda cum cereis accensis, iuxta antiquam fidelium consuetudinem, nec caeteris omissis ritibus, qui in Rituali Romano continentur. Capitulares autem ad exequias non accedant, nisi propriis amicti insignibus, quocumque semoto praetextu.

6. In deferendis ad Ecclesiam defunctorum cadaveribus caveant Parochi, ne ante solis ortum, vel post eius occasum eadem associent; aut in Ecclesiam ipsam inducant, dum Missa sollemnis, vel concio, vel alia sacra functio persolvitur.

7. Nullus defunctus, nisi post viginti quatuor horas, etiam iuxta Regni leges, humetur.

8. Quoniam vero sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur; Parochi statim ab alicuius morte parochianis suis solito campanae maioris signo illam indicabunt, ut ad orandum pro defuncti anima excitentur.

9. Cum autem Ecclesiastica sepultura censeatur pars Christianae communionis, quae etiam post mortem manet; cumque iuxta Regiam declarationem sub die 4. Martii 1820. coemeteria consideranda sint veluti Ecclesiae quoad cadaverum humationem: hinc sequitur, qualibet sepultura Ecclesiastica privandos esse eos omnes, qui vivi cum Ecclesia non communicabant, quique ab Ecclesiae unitate seiuncti decesserunt. In hunc censum veniunt infideles, apostatae, haeretici, et schismatici manifesti, item excommunicati, qui ut tales denunciati sunt, quique suadente diabolo Clericum, aut Monachum percusserint, et nominatim interdicti. Pariter Ecclesiastica sepultura non donantur, qui sibi mortem consciverunt; qui in Paschate peccata sua confiteri, et Eucharistiam sumere contumaciter renuerunt; Monachi mortui cum peculio, fures, et latrones in crimine occisi; infantes extincti sine Baptismo, generatim omnes manifesti peccatores, qui sine ullo poenitentiae, et contritionis signo ex hac vita migrarunt. His accensentur, qui in

duello diem obierunt supremum, necnon illud consulentes, suasores, ac spectatores. At ultimum supplicium passis, si condignam poenitentiam egerint, Canones Christianam haud denegant sepulturam.

10. Sua funeralium parte, iuxta locorum consuetudines, Sacramentorum Ministri fraudari haud debent. Sed si quis in tanta paupertate decesserit, ut qui efferretur, nihil reliquerit: nec propinquos habeat, qui supplire possint; nec alicui Sodalitati adscriptus sit: tunc Parochi, ad quos spectat, gratia illum associent.

11. Decet profecto, et charitatis virtus suadet, ut decedente Episcopo, qui diu noctuque invigilat pro totius Dioecesis animarum salute, tamquam pro communi Patre, et Pastore, non solum Cathedrale Capitulum, sed Sacerdotes omnes aliquod pietatis officium persolvant.

CONCLUSIO PARAENETICA.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, et Filii Dilectissimi, quae, Deo favente, ad ipsius gloriam, et populorum spirituale iuvamen, collatis consiliis, decernenda censuimus. Reliquum est, ut vos in laetitia salutari, et spiritu principali confirmati, quae audivistis, corde teneatis, ac opere impleatis; memores, quod non auditores tantum, sed factores verbi iustificabun-

tur. Non formidine poenae, sed virtutis amore munus vestrum uno animo exequi satagatis. Certum vobis sit obedire Praeposito vestro, et factis vestris eidem respondere cum Propheta. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Sic peroptatus ex hisce sacris Comitiis fructus percipietur; sic Religionem mundam, et intemeratam custodientes, religiosissimi Regis nostri votis occurremus; sic et nostrae, et illorum, qui Nos audiunt, ac nostrae curae concrediti sunt, saluti prospicientes, a Pastorum Principe immarcescibilem gloriae coronam recipiemus. Fiat, fiat.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, Charitas Dei; et Communicatio Sancti Spiritus semper sit cum omnibus vobis. Amen.

Decretum pro suprascriptarum Synodalium Constitutionum observantia, et executione.

» Unica optima lex est, legem observare. Simus » subiecti Canonibus, cum Canonum praecepta ser» vamus ». Sic ad Episcopos Illyrici scripsit Coelestinus. Hoc Nos salutari monito utentes, quaecumque in hac Dioecesana Synodo sancita sunt, ad unguem observari mandamus, iisque post duos menses ab hac pubblicatione unumquemque obstringi volumus, sub poenis in iisdem contentis. Ubi vero nullas apposuimus, illis, quae per sacros Canones, per ultima pa-

cta conventa, et per Regias litteras inflictae sunt, transgressores, et inobedientes subiacebunt.

Per haec autem Synodalia decreta non eos nostrae auctoritati praestituimus limites, ut addere, demere, mutare, dispensare nequeamus, pluraque alia efficere, prout necessitas postulet, temporum vicissitudo suadeat, vel recta suggerat ratio.

Ut autem singuli de nostro Clero dictas Constitutiones compertas habeant, at quae sui muneris sunt, exequi valeant; iis praecipimus, ut postquam, Serenissimo Rege Nostro annuente, earumdem Codex typis fuerit excusus, ipsum sibi nulla interposita mora comparent.

Quoniam vero quaecumque a Nobis statuta sunt, ad Christianae pietatis, et Catholicae Fidei puritatem in nostra Dioecesi servandam spectant, quam Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, Mater, et Caput ubique terrarum docet, ac praedicat: ideo Sanctae Apostolicae Sedis infallibili iudicio cuncta in hac Synodo contenta subiicientes, in verae Fidei confessione ad extremum usque vitae spiritum, Deo adiuvante, nos permansuros speramus.

Datum Ceriniolae ex Episcopali Palatio die 2. mensis Julii anni 1824.

Antonius Episcopus Asculanensis, et Ceriniolensis.

**

ATTESTATIO

DE SYNODO CERINIOLAE CELEBRATA

PER ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINUM

ANTONIUM MARIAM NAPPI

EPISCOPUM ASCULANENSEM, ET CERINIOLENSEM.

Cunctis, et singulis praesentia legentibus notum facio, ac testor ego Synodi Actorum Magister, quod die vicesima quinta Mensis Maii anni millesimi octingentesimi vicesimi quarti indicta fuit a praedicto Illustriss. et Reverendiss. Episcopo Dioecesana Synodus celebranda diebus tricesima mensis Junii, et prima, ac secunda Julii eiusdem anni in Cathedrali Ecclesia Cerioniolensi, et Edictum fuit affixum in valvis eiusdem Ecclesiae; ac fuit defixum supradicta die tricesima praefati mensis Junii, in qua congregato Capitulo Cathedrali, aliisque de Clero ad Synodum arcessitis, praesidente laudato Illustriss., ac Reverendiss. Episcopo, atque praemissis iis, quae Pontificale praescribit, post emissam a singulis de Synodo Fidei professionem, praeter Judices, et Testes, Exa-

minatores quoque Synodales, cunctis de Synodo approbantibus, electi fuere, qui ad munus suum fideliter exequendum iuramento se adstrinxerunt.

Deinde a Perill., et adm. Rev. D. Raphaele Can. Sorbo Synodi Secretario e suggestu lectae sunt, cunctis audientibus, Constitutiones Synodales in Part. I. contentae. Cumque declinaret ad vesperum dies indicta fuit alia sessio pro die sequenti, quae fuit prima mensis Julii, in qua sessione absolutis prius solitis precibus, et caeremoniis idem Secretarius prosequutus fuit lectionem decretorum, quae in Part. II. continentur. Demum sequenti die, quae fuit secunda eiusdem mensis Julii, idem Secretarius lectionem decretorum, quae Pars III. complectitur, explevit. Quibus omnibus celebratis, gestis, et promulgatis, prout superius continentur in actis, per eumdem Secretarium sic interrogati fuerunt omnes de Synodo: *Placent ne vobis?* Ac cuncti responderunt: *Placent.* Postmodum Secretarius decretum de Synodalium Constitutionum observantia, et executione publicavit. Deinde vocato Capitulo, et reliquo Clero, praestitaque obedientia Ill. et Reverendiss. Domino, ab eoque benedictione impartita, Synodus dimissa fuit cum gratiarum actione per hymnum *Te Deum laudamus*, aliasque preces, et caeremonias praescriptas. De quibus omnibus, et singulis ita peractis, instante Perill., et adm. Rev. D. Josepho Can. de Sanctis Synodi Promotore, hanc

ego Synodi Actorum Magister confeci attestationem, praesentibus testibus D. Raphaele Can. Giannatempo, D. Josepho Nicola Can. de Finis, D. Francisco Can. d'Alò, D. Paschale Can. Penza, aliisque ad id vocatis, habitis, et rogatis. Et in fidem ego infrascriptus Synodi Actorum Magister de praedictis requisitus, huiusmodi actum confeci, subscripsi, et Curiae Episcopalis sigillo munivi. Ceriniolae die 3. mensis Julii 1824.

Sabinus Penza Cath. Eccl. Cerniolensis Can.

APPENDICE

AL SINODO DIOCESANO

TENUTO DALL' ILLUSTRISSIMO E REVERENDISSIMO

MONSIGNOR NAPPI

VESCOVO DI ASCOLI, E CERIGNOLA

NELL' ANNO 1824.

I.

Istruzione per facilitare il metodo di ben insegnare la Dottrina Cristiana.

Cit. Part. I. Cap. II.

Non basta, dice il Concilio Romano, dare il latte, quando il modo di porgerlo sia così disadatto, che non produca in chi lo riceve il desiderato nutrimento Tal difetto suol trovarsi in alcuni destinati al ministero della Chiesa, i quali sebbene non mancano sostanzialmente di somministrare a' fanciulli il latte della Cristiana pietà col catechizzarli; lo fanno però con modo così inetto, e confuso, che son cagione a' me-

desimi o che no 'l prendano bene, o almeno che lo prendano indigestamente, e con difficoltà. Per ovviare ad un tal disordine di non poco momento, abbiamo stimato necessario di prescrivere il metodo più facile, e più chiaro, con cui si dovrà in questa nostra Diocesi insegnar la Dottrina Cristiana.

1. Si farà la Dottrina Cristiana in tutte le Domeniche dell'anno, ed in tutt'i giorni della Quaresima. Si riposerà da questo esercizio ne' mesi di Giugno, Luglio, ed Agosto. Questo non durerà meno di un' ora, e durante tal tempo, gl' Istruttori avranno nelle mani la Dottrina proposta da Noi.

2. Prima d'incominciare l'istruzione, il Parroco accompagnato da qualche altro Sacerdote, nelle ore pomeridiane, dopo aver dato il solito segno della campana, girerà per le strade principali del Comune, facendo precedere la Croce, e cantando le Litanie della Vergine, o altre Canzoncine Spirituali. Qualora si vegga infrequenza di ragazzi, si farà in pubblico una breve ammonizione a'Genitori, colla quale si farà lor conoscere l'obbligo, che hanno di mandar i loro figliuoli ad apprendere la Dottrina.

3. Entrati che saranno in Chiesa i Ragazzi, tutti uniti si faranno stare ginocchioni avanti al SS. Sagramento, recitando tre *Gloria Patri*. Indi si faranno alzare successivamente, e con ordine; si separeranno i fanciulli dalle fanciulle; e si distribuiranno

gli uni, e le altre in varie classi, avendosi riguardo all' età, ed assegnandosi a ciascuna il suo Istruttore più opportuno. Non si faranno passare dalla classe inferiore all' altra superiore, se non coloro, che si saranno bene istrutti nelle cose, che s' insegnano nella classe inferiore.

4. Ciascun Parroco, o Vicario curato rispettivamente assisterà, e dirigerà tali disposizioni. Ed affinchè riescano le medesime col dovuto ordine, e con frutto, procurerà egli di essere colla sua vigilanza tutto in tutte le dette classi; impegnandosi di aver dei collaboratori, e tenendo avvisato il Vescovo di que' Preti, e Clerici, che saranno negligenti.

5. Gl' Istruttori svilupperanno con chiarezza, e con precisione, adattandosi all' intelligenza di tutti, le materie, che insegneranno. Procureranno altresì di svegliare l' emulazione tra i ragazzi; faranno sì che un figliuolo, ed una figliuola interroghi l' altro, e l' altra; ed errando, sia corretto da' compagni più pratici della medesima classe. Gioverà ancora allettarli con qualche premiuccio da darsi a coloro, che si distingueranno.

6. Terminata la Dottrina, si faranno recitare gli Atti Cristiani con voce rimessa, e divota. Indi il Parroco dal Pulpito farà a tutti un' istruzione appartenente alla Dottrina medesima. In fine si lasceranno modestamente uscir di Chiesa prima le fanciulle, e

dopo che queste si saranno alquanto allontanate, i fanciulli.

7. Prima della solennità di Pasqua si faranno confessare, e comunicare tutti que' fanciulli, e quelle fanciulle, che ne saranno stimate capaci. Essendo pertanto difficile il formare retto giudizio di questa capacità; si farà questo esame dal Parroco, e quelli, che saranno approvati, riceveranno dalle sue mani la cartella o di Confessione, o di Comunione.

II.

Regolamento relativo alle Congregazioni di spirito per gli scolari.

Cit. Part. I. Cap. II.

Essendo l'educazione della Gioventù il fondamento della pubblica morale, uopo è, che negli animi dei giovani studenti fin dalla prima età s'istillino que' sentimenti di Religione, che soli possono formare il buon costume, e s' imprima in essi il santo timor di Dio, ch' è il principio della vera sapienza. Penetrato da queste idee il nostro religiosissimo Sovrano, per l' organo della Real Segreteria di Stato degli Affari Ecclesiastici, con circolare de' 16. Giugno 1821., ordinò a tutt'i Vescovi del Regno di stabilire ne' Comuni più popolati delle rispettive Diocesi le Congregazioni

di spirito per gli studenti di ogni classe. Inerendo alle provvide cure di S. M. (D. G.), confermiamo i Regolamenti, che furon da Noi emessi relativamente alle medesime Congregazioni, i quali son conformi a quelli della Capitale.

1. Tanto i Maestri di scuole pubbliche, quanto i Maestri privati, saranno obbligati di condurre i loro Scolari alle dette Congregazioni, o almeno obbligarli ad andarvi, e prender conto delle loro mancanze, le quali quando non sieno giustificate, dovranno esser punite co' castighi soliti a darsi nelle Scuole, e finalmente coll' espulsione dalla Scuola stessa, quante volte sieno continue, ed i rispettivi parenti non sapranno obbligare i loro figliuoli a frequentare le cennate Congregazioni. Ma tal espulsione non avrà luogo senza la nostra intelligenza, o del nostro Vicario Generale.

2. Per ciascuna delle Congregazioni, le quali si terranno negli Oratorj più adattati all' uopo, vi sarà un Prefetto da Noi nominato.

3. L' uffizio del Prefetto sarà di fare agli Scolari il Ritiro, e gli Esercizj spirituali, e d' invigilare, che si apprenda da essi la Dottrina Cristiana.

4. Il Ritiro si eseguirà ogni otto, o al più ogni quindici giorni, e propriamente nel Sabbato. Qualora però il medesimo in tal dì non possa eseguirsi per qualche circostanza impediente, avrà luogo nel dì precedente. Ed in tal caso il Prefetto ne passerà an-

ticipatamente l'avviso a' Maestri, affinchè non si possa addurre la scusa di essersi ignorato il giorno prefisso.

5. Il Prefetto colla nostra intelligenza avrà tutta la cura, perchè vi sia nell' Oratorio destinato all oggetto un numero di Confessori corrispondente alla quantità degli Scolari, e con ispezialità procurerà, che v' intervengano sempre gli stessi Confessori, acciocchè i detti Scolari si avvezzino di buon' ora ad aver una regola certa, e costante della loro coscienza.

6. Radunati nella maniera di sopra espressa gli Scolari nel rispettivo Oratorio, il primo esercizio, che da lor si farà, sarà la Confessione Sagramentale. E perchè essi alla medesima si accostino convenevolmente disposti, il Prefetto, dopo averli fatti tutti inginocchiare, nell' atto, che i rispettivi Maestri veglieranno sulla modestia, e raccoglimento de' proprj discepoli, proporrà loro brevi, ma penetranti motivi, per eccitarli a concepire un vero pentimento de' loro peccati, ed a confessargli tutti sinceramente, e senza rossore; essendo questo lo scoglio fatale, in cui urta ordinariamente la Gioventù. Sarà poi cura del Prefetto, che tutti si accostino al Sagramento della Penitenza. Per la qual cosa è assai bene il prescrivere eziandio ai ragazzi non ancora iniziati ne' Sagramenti di ricevere dal Confessore almeno la santa benedizione.

7. Dopochè tutti si saran confessati, o almeno la maggior parte di loro, si darà cominciamento al

Catechismo. Il Prefetto, che avrà quest' incarico, si adatterà a spiegare a' Giovani Scolari i misterj fondamentali della Fede, i Sagramenti della Chiesa, o cose simili, seguendo il sistema, che si avrà prefisso, e che il bisogno richiederà. Tale istruzione s' incomincerà sempre dal far ripetere in breve le cose spiegate nel Catechismo precedente, e così si farà passaggio alla nuova lezione. Tutto questo esercizio, affinchè i ragazzi facili alla distrazione non vengano ad infastidirsi, non oltrepasserà tre quarti d' ora. Un altro quarto s' impiegherà nel fare un' altra istruzione particolare sulla maniera di far bene l' Orazione mentale; e si dirà anche qualche parola sulla vocale. Ed affinchè ciò si faccia con maggior profitto, si obbligheranno a bella posta gli scolari a ripetere di quando in quando praticamente ciò, che loro si è insegnato. E similmente il Prefetto potrà fare ad essi comprare de' libriccini stampati per tali esercizj, ed inculcarne a' medesimi l' uso, nel farsi giornalmente l' Orazione mentale, la visita del SS. Sagramento, e gli Atti Cristiani la mattina, e la sera.

8. Terminata la Confessione, e l' Istruzione, si farà per un quarto d' ora l' Orazione mentale. In essa dal Prefetto si osserveranno esattamente tutte la parti, e si ripeteranno per lo più gli stessi formolarj tanto nella preparazione, che nella conchiusione, affin di rendere a' ragazzi più facile un tal esercizio. Nel

corpo dell' orazione si leggerà ordinariamente un libro contenente le massime eterne, tutto a portata de' ragazzi. Nella qual lezione, dove il Prefetto incontrerà qualche sentimento, che può penetrare più altamente l' animo de' medesimi, vi si fermerà alquanto, vi farà qualche parafrasi, o vi soggiungerà qualche riflessione analoga, onde sia meglio compreso. Terminata la Meditazione, proseguirà tuttavia il Prefetto a dare a' ragazzi un sentimento morale chiaro, e vivo, nel quale si tratterà praticamente di ciò che s'è meditato. Scorso così un brevissimo spazio di tempo, si farà uscir la Messa.

9. Qualora questa non sia celebrata dal Prefetto, ma da altro Sacerdote, come sarebbe più a proposito, il Prefetto stesso accompagnando mano mano i ragazzi per tutte le parti della medesima, farà sì, che nel ragionamento incominciato inserisca delle formole proprie a ciascuna parte, per offerire così convenientemente a Dio il sagrosanto Sacrifizio dell' Altare. Approssimandosi intanto il tempo della Comunione, lo stesso Prefetto si adoprerà, che i ragazzi facciano gli atti opportuni, per apparecchiarsi fruttuosamente. Questo apparecchio si farà sempre, tanto per coloro, che dovranno comunicarsi sagramentalmente, quanto per accendere gli altri a farsi almeno la Comunione spirituale. Dopo di questa il rimanente del tempo s'impiegherà in rendimento di grazie,

coll' aggiunta in fine di qualche divota Orazione in onore della B. Vergine. Questo è quanto si praticherà nella giornata del Ritiro.

10. Oltre a ciò, il Prefetto, ed un altro zelante, ed illuminato Sacerdote in ogni anno daranno agli Scolari gli Esercizj spirituali. Nel corso di questi si farà prima l' istruzione al Sagramento della Penitenza, sviluppandosene tutte le parti in un modo adattato alla capacità de' ragazzi, e proponendosi loro de' fatti, ed esempj energici tratti da' SS. Padri, e dalla Storia Ecclesiastica, i quali fanno più breccia nell' animo di essi. Indi si farà la predica sulle verità eterne. Essendo d' ordinario la rovina de' medesimi ragazzi lo scandalo, che ricevono dalla cattiva compagnia; e necessario, che il Predicatore tratti questo punto particolare con tutto lo zelo. Si attenda però bene, che parlandosi di simili materie, mentre si dà lume, ed aiuto a' deboli, e rei, non si faccia apprendere a' buoni, ad innocenti quel male, che forse ignorano. In fine bisogna far conoscere agli Scolari i doveri cristiani, il rispetto, e l' ubbidienza dovuta al Sovrano, ed alle altre Potestà sì civili, che Ecclesiastiche, non che a' proprj Genitori, ed inculcarne l' esatto adempimento. Tutti questi argomenti saranno maneggiati in una maniera facile, ed adattata a' ragazzi, energica nel proporli, insinuante per allettarne alla pratica, ed affettuosa nel commuovere le passioni dell' animo.

11. Finalmente sarà cura del Prefetto, che dagli Scolari si apprenda la Dottrina Cristiana, e che i medesimi profittino della spiegazione, che lor sarà fatta.

12. Ne' piccioli Comuni, ove non possono stabilirsi delle Congregazioni formali, gli Scolari si condurranno nelle Domeniche al luogo, che destineranno i rispettivi Parrochi, i quali gl' istruiranno negli atti di Religione.

13. Serva poi a tutti d' intelligenza, essersi ordinato da S. M. nella predetta Circolare, che niun giovane recandosi nella Capitale, per compiere il corso degli studj, potrà essere ammesso dal Maestro, che in essa avrà scelto, se non presenti l' attestato d' aver frequentata la Congregazione del suo Comune.

III.

Requisiti per l'Ordinazione in rapporto alla scienza.

Cit. Part. II. Cap. VII.

Per la prima Tonsura.

1. Non si può cercare, che nella Scuola seconda.
2. Approvazione del Maestro per lo studio.
3. Esame su i libri della Scuola, senza elenchi.
4. Esame sul primo Capo dell' Istituzione degli Ordinandi composta da Noi.

5. Esame sulla prima parte del Catechismo.
6. Esibizione dell' esemplare de' caratteri.

Per gli Ordini minori.

1. Si possono cercare in tutte le altre scuole, purchè s' intenda bene il latino; ma non si conferiranno tutti e quattro contemporaneamente, che rarissime volte.
2. Approvazione del Maestro per lo studio.
3. Esame su i libri delle scuole, senza elenchi.
4. Esame su i Capi rispettivi dell' Istituzione degli Ordinandi.
5. Esame sulla seconda parte del Catechismo.
6. Esibizione dell' esemplare de' caratteri.

Pe 'l Suddiaconato.

1. Non si può cercare, se non dopo aver prima studiato la Filosofia, e compiuto un anno di studio sacro.
2. Approvazione del Maestro per lo studio.
3. Esame sullo studio sacro fatto nel primo anno, senza elenchi.
4. Esame sull' analogo Capitolo dell' Istituzione degli Ordinandi.
5. Esame sulla terza parte del Catechismo sino all' Orazione Domenicale.

Pe 'l Diaconato.

1. Non si può cercare, se non compiuto il secondo anno di studio sacro.

2. Approvazione del Maestro per lo studio.

3. Esame sullo studio sacro fatto nel secondo anno, senza elenchi.

4. Esame sull' analogo Capitolo dell' Istituzione degli Ordinandi.

5. Esame sulla terza parte del Catechismo, cominciando dall' Orazione Domenicale fino a' Sagramenti.

Pe 'l Sacerdozio

1. Non si può cercare, se non dopo compiuto tutto il corso dello studio sacro.

2. Approvazione del Maestro per lo studio.

3. Esame sullo studio sacro fatto nell' ultimo anno, senza elenchi.

4. Esame sull' analogo Capitolo dell' Istituzione degli Ordinandi.

5. Esame sul resto della terza parte del Catechismo, cominciando da' Sagramenti.

IV.

Metodo da tenersi dal Clero nelle Conferenze dei Casi Morali, e de' sacri Riti.

Cit. Part. III. Cap. I.

Chiunque si ricorda, che Iddio per bocca di Osea disse a' Sacerdoti dell' antico Testamento: *Quia*

tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi (Osea 4); rifletterà bene, quanta scienza si richiegga ne' Sacerdoti Evangelici, i quali non hanno già ad offerire vittime di animali immondi, ma l' Immacolato Agnello di Dio; e debbono amministrare i Sacramenti, che dal di lui aperto costato diramaronsi a benefizio dell' universo. Che però affinchè non sieno essi come ignoranti rigettati dagli eserciaj dei nostri sacrosanti misterj; uopo è che sieno istrutti in tutto ciò, che riguarda i medesimi; non che nel modo di ben dirigere le anime per la strada della salute. A tal oggetto si continueranno nella nostra Diocesi la Conferenze de' Casi Morali, e de' sacri Riti, tanto inculcate da' Concilj, osservandosi il metodo seguente.

1. Si terranno queste Conferenze una volta la Settimana in luogo, in giorno, ed ora prefissa. Tutti gli Ecclesiastici, e Clerici saranno obbligati ad intervenirvi. Oltre il Prefetto da Noi nominato, vi sarà un Segretario destinato o da Noi, o dal Prefetto medesimo.

2. Congregati che saranno tutti, premessa dal Prefetto l' Orazione *Veni Sancte Spiritus* ec. si leggerà dal più giovane tra essi un breve punto di meditazione.

3. Terminata questa lezione, si passerà alla discussione di uno de' Casi tratti dalla Teologia Morale. Dopochè avrà su di esso discorso il risolutore tirato

a sorte da una bussola, ove saranno i nomi degli obbligati alle Conferenze, si destinerà uno, che farà le parti di oppositore, a cui risponderà il risolutore. Indi il Prefetto brevemente determinerà con dottrine sode, e fondate la conchiusione del Caso proposto.

4. Dopo il Caso Morale si metteranno in pratica i sacri Riti, principiando dalla Messa privata, e passando alla Messa solenne, funzioni Parrocchiali, e ministrazione de' Sagramenti; nell' intelligenza, che ciò si faccia un pò per volta.

5. Una volta al mese, invece della Conferenza de' sacri Riti, si farà una pratica Confessione, destinandosi uno a far le parti di Penitente, ed un altro quelle di Confessore.

6. Fatti questi esercizj, s' intimerà la conferenza futura, prescrivendosi il Caso da risolversi. Indi si darà termine coll' Orazione *Agimus tibi gratias etc.*

1. In ogni mese di Gennaro si manderanno a Noi scritte le decisioni de' Casi eseguite nel corso dell' anno, colle osservazioni portate sulle medesime da' rispettivi Prefetti.

8. L' uffizio poi del Segretario sarà di notare i nomi de' mancanti senza legittimo impedimento, il quale dovrà sempre approvarsi dal Prefetto, e di consegnare al medesimo tal nota, la quale si passerà alla nostra conoscenza, per le disposizioni convenienti.

INDEX SYNODI

PARS II.

De Sacramentorum consecratione, et dispensatione.

PARS III.

De Clericorum officiis, aliisque ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus.

APPENDICE AL SINODO

FINIS.

Copia ec.

A S. E.

IL PRESIDENTE DELLA GIUNTA DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Eccellenza

Antonio Maria Nappi Vescovo di Ascoli e Cerignola l'espone, qualmente desidera pubblicare per le stampe due Sinodi, uno celebrato per la prima, e l'altro per la seconda delle due indicate Diocesi. La prega perciò di concedergli un Revisore, e l'avrà ec.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

A dì 18 Agosto 1824. -- Il Regio Revisore Sig. D. Angelo Antonio Scotti avrà la compiacenza di rivedere le Opere soprascritte, e di osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità.

Il Deputato per la revisione de' libri
CAN.° FRANCESCO ROSSI.

Eccellenza Reverendissima

I due Sinodi Diocesani, che Monsignor Nappi Vescovo di Ascoli, e Cerignola ha celebrato, e desidera di dare alle stampe, mi sembrano perfettamente conformi allo spirito de' Sacri Canoni. Ciò basta ad assicurare, che niente contengano contrario all'Altare, ed al Trono, anzi sieno diretti al sostegno ed all'ornamento dell'uno e dell'altro. Stimo perciò, che V. E. Rev.ª possa permetterne la pubblicazione. -- Napoli 20 Settembre 1824.

Angelo Antonio Scotti.

Napoli 29 Settembre 1824.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA

PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Veduta la domanda di Monsignore D. Antonio Maria Nappi Vescovo di Ascoli, e di Cerignola, con la quale chiede di pubblicare con le stampe due Sinodi, uno celebrato per la prima, e l'altro per la seconda delle due indicate Diocesi;

Veduto il favorevole rapporto del Regio Revisore Sig. D. Angelo Antonio Scotti;

Si permette, che gl'indicati due Sinodi si stampino, però non si pubblichino, senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all'originale approvato.

Il Presidente
M.r COLANGELO.

Pel Segr. Gen., e Membro della Giunta
L'Aggiunto
ANTONIO COPPOLA.

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	vers.	ERRATA	CORRIGE
22.	12.	peccati	peccata
36.	12.	portica	porticu
36.	27.	claudantur; ab AEdituis nec	claudantur ab AEdituis; nec
41.	18.	Septuagesimae	Dominica Septuagesimae
44.	1.	taos	talos
46.	25.	Urbanus XII.	Urbanus VIII.
48.	7.	omnibus	hominibus
49.	16.	confiteudum	confidendum
50.	14.	ab	clave ab
53.	18.	celebrare	celebrari
60.	12.	a	ac
63.	13.	significationis	significationes
72.	19.	compactis	compactis efformatum
81.	13.	fit	sit
84.	9.	casu	ausu
85.	6.	iniungentes	iniungendo
96.	16.	secus	secum
100.	17.	ad quo	ad quos
122.	20.	curae	curare
123.	5.	Constitutione	Constitutio
124.	25.	praescriptum	praescriptam
132.	25.	cum	cum ab
155.	5.	annuis	vel annuis
162.	9.	supplice	supplere
175.	7.	al Sagramento	sul Sagramento